ALLOCVTIO

Ad animas quæ Dominum Iesum Crucifixum, ac vulneratum diligunt, & recogitant.

§. I.

Quàm utile sit passionem, atque vulnera Domini meditari.

ANimæ, quæ vulneratum ac crucifixum Salvatorem diligitis & recogitatis, ô quàm paucæ estis! Quàm rarò homo Dominicæ Passioni, & sacris Iesu Christi vulneribus recolendis intendit animum! cùm tamen nihil Deo gratius, sibi nihil utilius præstare possit.

Ad utilitatem quod attinet, eam indicat S. Bernardus cùm exclamans: *Quanta*, inquit, *in vulneribus Domini mei Iesu multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioq; virtutum!* Quod ipsum Salvator *Serm. 61. in Cant.*

Lib. 1. Revel. c. 24. sanctam Mechtildem docuit : volebat enim, ut in meditatione quotidiana, crebrò in sanctissima sua vulnera se reciperet, monebatque ut in pedum vulneribus, affectus suos omnes collocaret, in quibus expurgarentur ; deponeret in vulnere dexteræ manus, opera sua, in quo perficerentur ; in vulnere sinistræ manus, afflictiones, & tribulationes suas, unde levamen, ac solatium acciperent ; in vulnere autem lateris sui, cor atque amorem suum, ut juncta, inquiebat Dominus, cordi, & amori meo unum fiant, uti candens in igne ferrum, unum idemque cum igne videtur esse. Hunc profert fructum passionis, ac sacrorum Domini vulnerum assidua meditatio.

Did. Mart. in vita S. Iac. l. 2. c. 12. Rectè hoc etiam intellexit S. Rodesindus Conimbricensis in Lusitania Episcopus. Delegerat is sibi pro gentilitio stemmate sanguineam Crucem, è cujus dextero brachio speculum, sinistro circinum suspenderat, ut hoc signo indicaret in patiente Salvatore, ac crucifixo virtutes omnes conspici, iisque

con-

continuâ, atque attentâ meditatione, veluti circino, vitam nostram, ac mores admetiendos esse. *Sit ergo*, ait S. Bonaventura, *regula vivendi, passio Salvatoris, & tantò ampliùs in hoc consolemur, quantò ampliùs Christo conformamur, & tantò ampliùs desolemur, quantò ab hoc exemplari, ac regula ampliùs elongamur.* *P. 1. Stim. c. 4.*

In eamdem sententiam non minùs sapienter, quàm piè venerabilis Pater D. Ludovicus Blosius Monasterii Laetiensis, Ordinis sancti Benedicti in Hannonia Abbas. *Nullus omnino*, inquit, *potest aliquid de Domini passione humiliter legere, vel cogitare (licet modico fortè affectu id faciat) quin eximium salutis fructum inde referat. Quemadmodum fieri nequit, ut qui opobalsamum summis digitis contingit, non habeat opobalsami liquore[m], atque odore perfusos. Etiamsi imago Crucifixi Iesu piè inspicitur tantùm, non erit inanis haec inspectio.* *In instit. Spir. c. 6.*

Igitur Dei servus, pergit Blosius, *praeclaram crucifixae humanitatis Christi imaginem in animae suae vires, corporisq; sui sensus imprimat. Haec enim eum tandem, in superessentialem, ac formae nesciam imaginem, in aeternum, inquam,*

verbum, ac sapientiam Patris, in altissimam Christi divinitatem mirabiliter sustollet. Nam humanitas dulcissimi Iesu tuta via, ipsissimaq; janua est perveniendi ad ejus divinitatem. Frustra planè quis adspirat ad mysticam, germanamq; contemplationem, si se exercere non vult in meditatione passionis Domini, ac vera humilitate. Nam nisi illam pro fundamento habeat, quò per contemplationem altiùs ascendere pertentaverit, eò profundiùs corruet. Sanè, etiamsi lumine gratiæ copiosè perfusus nonnumquam extra suum naturale lumen rapiatur, atque in divitiis Dei absorptus sese in ipso lumine gratiæ feliciter perdat, dum tamen sibi restituitur, convenientissimè cordis intuitum ad Iesum crucifixum revocabit, huic amabili fundamento semper inhærens. Hactenus Blosius.

Lib.21. Mor. c.20. & 21. Ita & D. Gregorius ait, S. Paulum, nobilem illam Iobi aquilam, in arduis posuisse nidum suum, & ad tertii cœli secreta volatu suo ascendisse, inde tamen contemplatum escam, patientem scilicet, crucifixum ac vulneratum Salvatorem, relictâ supernæ Majestatis gloriâ, descendisse, ac sibi, & pullis, hoc est auditoribus suis, Dominicum Sanguinem

guinem lambendum proposuisse, & post audita *arcana verba, quæ non licet homini loqui*, haustamque cœlestem sapientiam, judicasse non scire se quidpiam inter suos, *nisi Iesum Christum, & hun crucifixum*, ut à throno divinæ Majestatis sibi redditus, lætiùs in Cruce Domini videatur conquiescere, quod in hac omnis perfectionis esset consummatio. 2. Cor. 12. 1. Cor. 2.

Ita in arduis posuerat nidum suum ille eremi cultor; sed ad lambendum Domini Sanguinem non descendebat, qui orationi non parum addictus, post eam in silvæ suæ abdita penetrans, ac cum Deo agens, crudis herbarum radicibus victitabat, & fonte levabat sitim, quem conspicuus Angelus monuit, communem ut vitam sectaretur, neque supra sui similes saperet, sed in cellulâ suâ se continens, Domini Iesu passionem, ejusque mortem acerbissimam quotidie meditaretur. Id quod sedulò, magnaque pietate deinceps præstitit: atque ita qui in arduis contemplationis nidum suum posuerat, ad lamben- *Anonymus in tract. d. Pass. Dom.*

 dum

dum Dominicum Sanguinem, inſigni virtutum profectu, deſcendit.

§. II.

Quàm grata Deo ſit Dominicæ Paſsionis recordatio, ac meditatio.

VErùm inſtituti mei non eſt utilitates omnes, quas adfert meditatio Dominicæ paſſionis, enumerare, obiter oſtendendum hîc cenſui, quàm illa Deo grata, acceptáque ſit. In primis Dominum Ieſum toties de ſua paſſione, tamque apertè, uti Euangeliſtæ referunt egiſſe, etiam poſtquam redivivus ſurrexit, argumentum eſt magnopere illi placiturum, ſi crebrò eamdem piâ attentione recogitemus. An potuerunt Dei oculi imaginem ullam jucundiorem conſpicere quàm Ieſum crucifixum, flagellorum, ſpinarum, clavorum, lanceæ, ſcelerum denique noſtrorum veluti penicillo depictum in Calvariæ monte, cœlo, terræque expoſitum? Certè iiſdem Dei oculis nulla ſpecies gratior exhiberi poteſt, quàm Ieſus

Matth. 16. 17. 28. *Luc.* 8. 9.

Iesus idem patiens, seriâ ac devotâ meditatione in animis nostris, ad exemplar, quod nobis in monte monstratum est, formatus atque repræsentatus.

Refert Ælianus, Theridate vitâ functo Artaxerxem, cui is præ reliquis aulæ suæ Principibus charus erat, vehementem animo dolorem concepisse; quem ut leniret, à conjuge Regina impensè petiisse, ut quando accepta sibi venire cuperet, Theridatis vestibus accederet induta; ut cum aliter non posset, sic saltem sub imagine, quem morte sibi ereptum lugebat, videretur intueri; quod Aspasia, ita uxor vocabatur, levando, recreandoque Regis animo fecit non illibenter, perinde ac si revixisset Theridates, in togis ejus purpureis, aureisque tiaris, coram Artaxerxe identidem comparens. *Hist. var. l. 12. c. 1.*

Tale quid nobis suadere videtur Apostolus, si coram divina illa Majestate gratiosi voluerimus comparere, cùm monet, *ut induamus Dominum Iesum Christum*, hoc est, Sanguineam ejus togam, sacris quinque, totque aliis vulneribus, quasi *Rom. c. 13 v. 14.*

totidem pretiosissimis gemmis distinctam, quâ ipse indutus apparet oculis Dei pro nobis. Et nos, si eâdem induti comparuerimus, non feremus repulsam. Hac veste videor mihi videre ornatam, ac fulgentem Agnetem, sanctam illam atque ætate sua majorem, tredecim annorum virgunculam & Martyrem: quando enim à sponso suo Domino Iesu gloriatur se *inæstimabilibus margaritis, & cyclade auro textâ, ac vestimento salutis* donatam, & indutam esse, non aliud videtur dicere, quàm ut aiebat, Domini Sanguinem ornasse genas suas, ita se eodem Sanguine, quasi purpureâ togâ, atque cyclade textâ divini amoris auro, sacris Domini vulneribus, tot veluti inæstimabilibus margaritis conspersâ, vestitam, in qua, ex sensu Prophetæ Regii, castissimæ, ac sanctissimæ Martyris *omnis gloria ab intus erat.*

Brev. Rom. 21. Feb. — *Psal. 44. 15.*

Vtile simul ac jucundum fore lectori confido, si argumentum hoc paullò fusiùs prosequar. In Gallia vidua erat nobilis cui binæ erant filiæ, quarum natu minor gratiosior quidem erat, sed

La Neuf. de vanit. test.

vani-

vanitati impensiùs dedita. Major verò pia magis ac modestior, & Deo erat addictior. Hæc speculo suo, patientis Salvatoris pictam tabellam quotidie jungebat; memor ejus, quod apud venerabilem, ac religiosissimum Patrem D. Drogonem Abbatem Laudunensem, postmodum S. R. E. Cardinalem, atque Ostiensem Episcopum legimus: *Fecisti*, inquit ille, *Domine Iesu, de Corpore tuo flagellis conciso, spinis coronato, Cruci affixo, speculum animarum nostrarum*, quod virgo illa se comens, unà cum speculo suo intuebatur, ne dum pro conditione generis sui omnem seculi ornatum negligere non posset, conspecto patiente, ac sanguine madente Salvatore, ita se componeret, ne vanitate aliqua ejus à se averteret benignos oculos. Interim, nocte quadam, per quietem visa sibi est mater videre filiam utramque; annis minorem in vanitate sua monstro similem, alteram Angeli instar speciosam. quippe innocens illa anima, qualibus S. Agnes margaritis, sacris, inquam, Domini vulneribus ornata, ejusque pre-

De Sacram. Dom. Pass.

tioſo Sanguine ; velut cyclade auro textâ induta, decorem ſuum ac pulchritudinem in vultum, corpuſque tranſmittebat.

Lib. 1. de exemp. vir. 3. n. 9.

Non diſſimile eſt, quod apud P. Ioannem Rhò noſtrum lego. Florentiæ puella vixit mundi mancipium, magis in dies occupata ut corpus ad vanitatem, quàm ut animam ad æternitatem componeret. Id cùm obſervaſſet Hippolytus Galantinus magnæ virtutis atque zeli Sacerdos, qui ex adverſo habitabat, & cum magno doloris ſenſu obſervabat, quot illa bonas horas in dies abſumeret, dum ad ſpeculum feneſtræ appenſum molitur, & comitur, ut ſe aliosque ſecum perderet, infelicem vaniſſimæ puellæ ſortem miſeratus, ut eam in viam reduceret, cubiculi etiam ſui feneſtras omnes aperit, ac per illud ſtudiosè inambulans crinem pectit, veſtes componit, & quaſi in ſpeculum aliquod intueretur, illud identidem conſulit. Quod illa ubi curioſiùs obſervat, mirata viri, vulgo ſancti, levitatem, non ſine impudenti cachinno ; Heus, in-

inquit, Domine Hippolyte, tuum ſpeculum, ut me in hoc contempler, quàm concinnè compta ſim. Tum Hippolytus opportunitatem, quam diu optaverat, nactus, vultu ad commiſerationem, pietatemque compoſito, novi generis ſpeculum ingenioſo ac ſancto commento, Chriſti Domini ſcilicet flagellis conciſi, ſpinis coronati, ac ſanguine fluentis tabellam eleganter depictam illi obiicit; quo illa perculſa ſpectaculo, atque in hac, velut in divina cryſtallo, conſpicata turpitudinem, atque vanitatem ſuam, mundo nuncium remiſit, vitæque religioſæ ſe conſecravit, tantò ſtudioſiùs, ex monito Apoſtoli, induens Dominum Ieſum Chriſtum, animamque ſuam ad ſpeculi ſibi ab Hippolyto donati formam componens, quantò ante corpus ad omnem vanitatem compoſuerat curioſiùs. O quàm ad prototypum ſuum Crucifixum, animæ hujuſmodi, veſte Chriſti patientis adornatæ, gratum acceptumque ſpectaculum fiunt Deo, Angelis, & hominibus!

Hor-

Horreo referre, quod apud S. Bonaventuram tam pium, atque suavem S. E. Doctorem lego: *Non se reputet*, inquit, *quis hominem, sed bestiam, & plus quam bestiam, nisi sit vestitus Domini passione*, quâ Apostolus Romanos vestitos cupit, cùm ad illos scribens, ait: *Induimini Dominum Iesum Christum*, crucifixum scilicet, ac pro vobis vulneratum: observaverat enim Apostolus à Romanis indui Neronem Cæsarem, uti ait Ambrosius, togis suis ac paludamentis intertextum. Volebat itaque illos in animis, patiente Iesu vestiri, qui in corporibus Nerone triumphante vestiebantur.

P. 1. Stim. cap. 7.

Rom. c. 13. v. 14.

Sed quàm rari sunt, qui hoc perpendunt, & intelligunt. semel, per anni decursum, concionatorem audimus de Passione Domini verba facientem, & dictorum protinus obliviscimur. Hæreat animis, quod Bernardus nos monet; *Eum scilicet, qui sensum Christi habet, sat scire, quantum Christianæ pietati expediat, quantum Dei servum, & servum Redemptoris deceat, unâ saltem aliquâ diei horâ passionis ipsius attentè recolere beneficia; cùm Dominus ipse Iesus* ut

In tract. de vita solit.

ut pluribus vir ille ſanctus perſequitur, qua nocte tradebatur ad hanc nobis commẽdandam memoriam, auguſtiſſimum ſacratiſſimi Corporis, & Sanguinis ſui Sacramentum inſtituerit tantum inexplicabilis ejus erga nos amoris monumentum. Vt cùm hujuſmodi monitorem habeamus, non niſi ſummâ incuriâ, atque ingrati animi ſignificatione, paſſionis ejus ac mortis pro ſalute noſtra toleratæ obliviſcamur.

Hanc paſſi Chriſti memoriam exemplo ſuo nos docuit Deipara, quæ ita affata B. Birgittam; *Omni*, inquit, *tempore quo poſt aſcenſionem Filii mei vixi, viſitavi loca, in quibus ipſe paſſus eſt, & paſſio ejus in corde meo ſemper erat, ſive comederem, ſive biberem, ſive quid aliud agerem.* Exemplo ſuo Mater, ac Magiſtra præivit, ut doceret nihil nobis utilius, nihil Deo gratius, continuâ paſſionis dilecti Filii ſui in nobis memoriâ. Quam ne unquam deponamus D. Paulus hortatur, non ut cogitemus ſolùm, *ſed recogitemus eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem*, & fructum addit,

Lib. 6. Revel. c. 65.

Heb. 12. v. 3.

ut ne fatigemur animis nostris : nondum enim usque ad sanguinem restitimus adversus peccatum depugnantes.

In vita ejus. Monentem Apostolum audivit B. Catharina Bononiensis è divæ Claræ familiâ, quæ diu multúmque cupida, ut internos Christi Iesu, atque ejus externos dolores, quos animo, & corpore erat perpessus, mente cernere, ac comprehendere posset, die quodam Veneris sancto, cùm in eo desiderio ante crucifixum suum (cum quo illi creber erat sermo) orationi & meditationi esset intenta, significavit illi Salvator, hanc ejus pietatem admodum sibi placere, quâ se quotidie in meditanda sua passione occupabat, atque, ut alii piam hanc consuetudinem assumerent, laborabat. Deinde illi aperuit ipso temporis momento, quo à sanctissima Virgine Matre sua fuit conceptus, cor sibi animumque immensis, innumerabilibusque doloribus, & angustiis oppressum fuisse, quòd jam inde prospiceret, ac præsentiret quidquid laborum ac suppliciorum, toto trium, ac triginta anno-

annorum decursu, perpessurus esset; fatebatur tamen tormento nullo majori fuisse se affectum, quàm dum inexplicabilis hominum ingratitudo ipsi obversaretur, qui acerbam adeò ejus passionem, ac mortem negligerent, & sanguinem Filii Dei peccatis suis conculcarent: salutis, quam ipsis adferebat, & offerebat, nimis immemores.

Graves autem, ajebat Dominus, mihi erant omnes dies Mercurii; quia in horum postremo Iudas quem orbis Apostolum, ac Doctorem elegeram, hostibus mihi infensissimis, triginta me argenteis erat venditurus; ac deinde proditurus, quo scelere ipse sibi miserandam mortem, Ierosolymæ excidium, Iudæorum genti universæ à Patre electæ ruinam parabat, quæ omnia vehementer me affligebant. Sed dies Veneris erant mihi dum vixi præ animi angustiis, continuum cum morte certamen, cùm supplicia, quæ in eorum ultimo subiturus eram, singula totâ suâ atrocitate, mihi obversarentur. Inter hæc ingenti mihi dolori erat Matris

meæ

meæ innocentissimæ, mihique carissimæ immensa tristitia, quâ, mei causà, affligenda erat. Quasi & nondum natus,& infans, & puer, & adolescens, & juvenis,& vir, hoc est,omni ætatis suæ parte supplicia, passionem, crucem ac mortem subiret, ut omni hominum ætati saluti esset, illiq; saltem in adulta
Thren. 3. v. 19. sua ætate *recordarentur paupertatis & transgressionis* illius,*absynthii & fellis*: & in doloribus ejus anima eorum colliquesceret.

Tibi ergo (pergebat in virginis alloquio Christus) Catharina, ut majorem quàm ante hac à me ineas gratiam, non dies elabatur, quò non, uti cœpisti, animam ad passionem meam convertas; aliosque, ut idem præstent, cohortare, si mihi rem gratam, sibique jucundam, & utilem facere velint.

Surius in vita ejus. Idem ab ipso Salvatore edoctus fuit S.Edmundus Cantuariensis in Anglia Archiepiscopus. Cùm enim is adolescens Oxfordiæ litteris daret operam, urbe, dum vacaret, egresso viæ comitem se junxit, ut mox patuit Dominus Iesus, liberali juvenis honorati specie,

piis

piis colloquiis Edmundum detinens, ac recreans, illique suadens, si de infernali hoste victoriam reportare, si in omni virtutum genere progredi, ac beatâ morte vitam claudere; si Deum, ac Salvatorem suum sibi benevolum cuperet, nullo non die, partem aliquam de ejus passione meditaretur. In qua cùm primum locum obtineant sacratissima Domini vulnera, nihil sanè Deo illique gratius potest accidere, quàm ut ea novæ hujus coronæ usu, aliisque pietatis exercitiis veneremur.

Appositè sanè ad rem nostram Ludovicus Blosius; *Meritò singulares Dei amicos etiam sanguineis lacrymis deflere debere, quòd hodie, in toto terrarum orbe, ita præcellentissima Christi vulnera in oblivionem abierint.* Nam si redivivus Salvator illa in corpore suo glorioso servata voluit, cœloque invexit, ut his veluti monitoribus æternùm ille nostri esset memor, sanè æquissimum est, ut nulla dies eorumdem in animis nostris, dum exiguo hoc tempore vivimus, memoriam deleat, sed cum Propheta dicamus: *Domine, nomen* *Instit. Spir. c. 6.*

Isa. c. 28. v. 8.

 tuum,

tuum, Iesu scilicet suavissimum, *& memoriale tuum* vulnerum scilicet tuorum præcellentissimorum, *in desiderio*, & gratissimâ *animæ meæ* esse debent recordatione. Quod pio & eleganti versu monet ille è Societate nostra;

Sidronius de Hosschе eleg. de vuln. Domini.

Redde vicem meritis. quæris, quo munere possis?
Aut quid, qui gratum te cupit esse, velit?
Non petit ut clavis scindi palmasque, manusque,
Tempora nec spinis ut patiare fodi.
Non ut flagra tuos lacerent immaniter artus,
Perq; tuum stridens transeat hasta latus.
Hoc satis est illi, si tu, quæ vulnera pro te
Saucius ipse gerit corpore, mente geras.

§. III.

Studiosa virorum sanctorum atque servorum Dei erga sacra Domini vulnera pietas, & eorundem veneratio.

HAnc memoriam, pietatem ac venerationem ut frequentiorem, atque celebriorem redderet Innocentius VI. Pontifex Maximus, postulante Carolo Imperatore ejus nominis IV. festum

festum lanceæ, clavorum, ac quinque Domini Vulnerum, per Germaniam instituit, primo die Veneris post Dominicam in Albis, celebrandum. Quam religionem ac devotionem æmulatus est Illustrissimus ac Reverendissimus Princeps Ioannes Godefridus Episcopus primùm Bambergensis, deinde Herbipolensis; qui amico suo, in familiari sermone, fassus est, *à primis se annis semper dilexisse Salvatoris vulnera, sibiq́ bene fuisse, quando illorum recordaretur: non bene dum oblivisceretur.* Quare ad Ecclesiæ Bambergensis Episcopatum evectus, inter primas curas, hæc illi fuit, ut collapsum sacrorum quinque Domini Vulnerum festum ad pristinam majorum pietatem revocaret, ac pleno Ecclesiæ officio eum in finem conscribendo quotannis celebraret: quod officium ubi à Reverendissimo Hebronensi Episcopo Friderico Fornero, suo Bambergæ suffraganeo perfectum obtinuit, Romam ab Imperatore Matthia ad Paulum V. Pontificem Summum missus, post confecta commissa sibi à Cæsare

Fred. Forn. in præf. Rosæ Pentaph.

negotia ; quod maximè illi cordi erat
auguſtiſſimum ſacrorum Vulnerum
negotium cum ſua ſanctitate tractan-
dum ſuſcepit, eique officium ſuo hor-
tatu conſcriptum obtulit, quod Pon-
tificis mandato, ab Eminentiſſimo ac
Reverendiſſimo S.R.E. Cardinali Bel-
larmino examinatum, & probatum
Sanctitas ſua vivæ vocis oraculo ra-
tum habuit; ac deinde à Gregorio XV.
ſingulari diplomate fertur confirma-
tum. Sed vitâ prius exceſſit optimus
Præſul quàm potuerit tam pia deſide-
ria complere. Succeſſit illi in Epiſco-
patu Bambergenſi, & in pietatis erga
ſacratiſſima Domini vulnera affectu,
Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Prin-
ceps Ioannes Georgius, qui in ſuâ Bam-
bergenſi Eccleſiâ ſolemni ritu offi-
cium ſingulis diebus Veneris de paſ-
ſione, & vulneribus Domini, perpetuis
deinceps duraturum temporibus in-
ſigni pietate reſtituit, decrevitque ut
clavi, quo Chriſtus cruci fuit fixus fra-
gmentum, à ſancto Henrico Imperato-
re illi Eccleſiæ donatum ad publicam

ve-

venerationem exponeretur, ut ſacro hoc pietatis invitamento omnium animos ad honoranda Chriſti Domini vulnera potentiùs inſtigaret.

Nec minus acres ſtimulos animis ſubdit Innocentius VI. Pontifex maximus his verbis: *Quid*, inquit, *quinque Domini vulneribus ſanctius? Quid plagis ejus ſalubrius? ex quibus ſalus noſtra proceſsit, ut omni pietate à Chriſtiano populo colenda ſint.* *In Bulla de feſto Lanceæ.*

Exemplum hujus pietatis illuſtre fuit D. Bonaventura S.R.E. Cardinalis, qui ſacra Domini vulnera quantopere habuerit in deliciis videbimus ſæpius. Ita ipſe modò ingenioſa & eloquenti devotione: *Domine*, inquit, *Ieſu, pro me feciſti cœlum & ſolem; lunam & ſtellas; ignem & aërem; aquam & terram; aves & piſces; beſtias & reptilia; arbores & flores; herbas & olera; aurum & argentum; & lapides pretioſos. Sed quis de manibus tuis quæſivit hæc? ſine petitione, ſine inſtantiâ hæc omnia nobis dediſti; & totâ die affligo animam meam, petendo ignominioſiſsimam mortem tuam, ut hanc comprehendam, huic compatiar, hanc imiter, huic conformer; & vix poſſum aliquam guttulam impetrare. Scias Domine* *P. 1. ſtim. cap. 15.*

Iesu, quia omnia visibilia mihi vilescunt, quæ universa tibi restituo; sed da mihi vulnera tua. Hæc super cœlum habilitant cor meum; super sidera refulgent, & illuminant intellectum meum; super terram stabiliunt voluntatem meam; super ignem accendunt affectum meum; super aërem fœcundant sermonem meum; super aquam emolliunt animam meam. Hæc avibus, bestiis, ac piscibus utiliora, fructibus suaviora, arboribus ac floribus amœniora, auro, argento, lapide pretioso pretiosiora. Ita ad vulnera Domini anhelabat, ita ea venerabatur D. Bonaventura.

Inauditum forte illud quod de sancto Constantino referunt. Hic natus Hebræus, vidit Christianum in flumen lapsum, crucis signo vitam servasse. Vnde & ipse Christianam fidē complexus, ingenti Christi, crucisque amore exarsit. Impuræ puellæ crucis signo vitam ademit, mox restituit. In cruce illi vis omnis, ac pietas erat. In Cœnobium quoddam divino ductu cum venisset, conspicatus Saluatoris in cruce pendentis effigiem, ejus pedibus humile osculum dedit: non ad manus, nedum ad

In Menæis 26. Dec.

ad ſacrum Domini latus auſus aſpirare. Quæ animi demiſſio tantopere Salvatori probata fuit,ut revulſis à cruce manibus, Conſtantinum amplexaretur, & veluti devoti ſibi ſervi frontem atque cor,crucis ſigillo ſignaret.

Huic ſuccedat Ludovicus Bloſius, qui ait, *vel unicam humilem, atque amoroſam converſionem ad dulcia vulnera Salvatoris, ipſi gratiorem eſſe,quàm ſit omnis vocum, ſonorumque muſicorum harmonia, ac ſuavitas.* *Inſtit. Spir. cap. 6.*

Narrat vir venerabilis Ludolphus de Saxonia Carthuſianus, Chriſtum Dominum magno Dei ſervo ſacris vulneribus ſuis luculenter inſignitum apparuiſſe, eique affirmaſſe, nullum ſibi gratius obſequium ab hominibus exhiberi poſſe, quàm ſi ſacratiſſima ejus vulnera ſemper in memoria foveant, eaque ſingulari aliquo pietatis exercitio venerentur. *Vita Chriſti p. 2. cap. 18.*

Miranda magis, ſed non imitanda fuit Petri converſi, Abbatiæ Villarienſis in Brabantia Gallicana, erga vulnera Domini devotio. Manus ille ſibi pedeſque perforavit; latus verò aperuit *Barth. Fizen. in Flor. Eccleſ. Leod. 16. Ian.*

candenti ferro, & ne vulnus coiret, contextum è ſetis equinis funem in illud immiſit, ut ſervus Domino ſuo quàm ſimillimus, Domini ſui, quà licet, vulnera, eorumque dolorem, nunquam non ſentiret.

Vita l.1. cap.17. Excelluit etiam hac in pietate beatus Aloyſius Gonzaga Societatis noſtræ; de quo memorat Virgilius Ceparius, quòd cùm anno partæ ſalutis octogeſimo primo ſupra milleſimum quingenteſimum unà cum parente Ferdinando Marchione Caſtilionenſi in Hiſpaniam proficiſceretur, & in maris littore deambularet, ac ſanctiſſima quinque Chriſti Ieſu vulnera contemplans, duriſſima quæque, pro Salvatoris ſui obſequio, pati deſideraret, inter arenas, & maris ejectamenta, lapillum invenerit, in quo quinque Domini vulnera affabrè ſculpta, magna luce refulgebant, quem ſuper aurum, & topazium, reliquo vitæ ſuæ decurſu, dilexit, & aſſervavit.

Sebaſtianus Tuccius Societatis noſtræ Sacerdos (quem morti proximum cùm

cùm anno 1597. Clemens VIII. Pontifex Maximus singulari gratiâ invisisset, se virum sanctum vidisse dixit) noctibus singulis peculiari aliquo cruciatu manus, pedes, ac latus ob sacrorum vulnerum Domini reverentiam, graviter affligere erat solitus.

Cœpi à Carolo Imperatore, finio in Carolo Principe, Comite Flandriæ S. Canuti Daniæ Regis filio. Is tanto Patre digna soboles, singulis per annum diebus, ob venerationem cruentorum quinque Domini vulnerum, pauperes quinque vestiebat, eâ mente ac desiderio, ut sanguine Domini insigniri & quasi vestiri mereretur. Quod ex voto suo consecutus est, dum justitiam atq; pauperes propugnans, à subditæ sibi urbis cive trucidatus, speciosiùs Martyrij, quàm dignitatis suæ purpurâ fulsit. Atque hæc est, ut alios prætermittam pietas sanctorum, atque servorum Dei, quâ sacra Domini vulnera venerati sunt.

Paul. Bar. in an. Sac. devot. 12. ex Molano p.1.c.8.

§. IV.

Eadem pietas Sanctarum, & Servarum Dei.

AGmen hoc sacrum ducet sancta Margareta è divi Dominici Parthenone, Belæ ac Mariæ Hungariæ Regum filia, quæ nunquam orationi vacabat, nisi proposito sibi ob oculos crucifixo: ab ea nunquam recedebat, nisi prius magno pietatis sensu, sacros Domini pedes, deinde manus, demum latus osculata fuisset; variis diebus (uti illam impellebat pietatis varietas) modò hoc, modò illud vulnus sibi domicilium eligens. *Bar. ibid.*

Bar. ibid. B. Maria de Incarnatione Carmelitissa Discalceata, cellulâ suâ nunquam egrediebatur, nisi Domini Iesu vulneribus osculum priùs dedisset: in illam regrediebatur nunquam, nisi iisdem osculum referret; quâ suavissimâ consuetudine, magnos in amore Salvatoris sui, atque in omni virtute progressus fecit; nullum cellulæ suæ ornamentum aliud cupiens, vel etiam parans,

rans, quàm Iesum suum, & hunc Crucifixum.

Venerabilis Maria de Arbouze, Vallis-gratiæ Dei, in Galliis, Ordinis D. Benedicti Abbatissa, in colendis sacris Domini vulneribus piè admodum atque humiliter sollicita, præ reliquis, pedum vulnera venerabatur, iisque crebra oscula figebat: Monita ut sese etiam, osculumque attolleret ad manus, & latus Salvatoris sui, reponebat; peccatrices, inter quas se maximam censebat, non nisi ad pedes Iesu cum Magdalena debere advolvi. *Bar. ibid.*

Beata Agnes de Monte Politiano, è D. Claræ familiâ, omni die, opus suum omne in honorem Dominicæ passionis peragebat; tantò autem pietatis sensu, tantaque lacrymarum vi, sacrosancta Domini vulnera recolebat, ut eæ per genas, ob acrimoniam, sulcos ducerent. Novem annorum adolescentula Monasterio se consecravit, in quo sæpiùs ad Crucifixi pedes, quod in templi odeo erat, ab Angelo deferri visa fuit, quos exosculata, ad Salvatoris *S. Iure in lib. Elect. ex ejus vita.*

latus

latus sese erigebat, illique labella admovebat, tantâ suavitate, ut è virgunculæ vultu appareret, cùm ab Angelo loco suo restitueretur, quanta è divino illo fonte solatia hausisset.

Beatrix erit nobis hac in pietate exemplum, non quod imitemur, sed admiremur. Vixit anno trecentesimo supra millesimum in Gallia, divi Brunonis alumna. Manus illa sibi perfoderat, ut vulnerato Domino, ea in parte conformis esset. Cùm autem vulnera hæc cicatricibus obducerentur, ea, singulis diebus Veneris, clavo ferreo aperiebat. Quam Beatricis devotionem tantoperè probavit Salvator, ut se illi vulneribus patentibus, & sanguine fluentibus spectandum exhibuerit, multisque gratiæ divinæ donis animam ejus cumulaverit. Sit nobis exemplo Beatrix, non ut manus, pedesque perforemus, sed si acerbum quid, adversumque patiendum nobis faciendúmve contigerit, id omne in honorem sacratissimorum Domini Iesu vulnerum, æquis animis toleremus.

Theoph. Raynau. in S. Brunone p. 10. §. 3.

Atque

Atque hæc eſt (ut Gertrudes, Mechtildes, aliaſque non commemorem, de quibus alibi abundè) Sanctarum, & ſervarum Dei pietas, quâ ſacra Christi Ieſu vulnera veneratæ ſunt.

§. V.

Modus ſuavis, & expeditus, quo & nos Domini vulnera venerari poſſumus.

SAlvator noſter ſanctæ Mechtildi aperuit, non minori ſe lætitiâ affici, dum quis vulnera ſua honorat, quocunque licet pietatis obſequio, quàm is, qui diu optatam, ac quæſitam rem tandem aliquando conſequitur. *Lib. 4. grat. ſpir. c. 25.*

At quando commodiùs atque ſuaviùs ſacrorum Domini Ieſu vulnerum recordabimur, eademque venerabimur, quàm dum, uti ſanctus Cyprianus ait, illa veluti *tot ubera de cœlo plena,* in ſumptione corporis Domini, *ſugimus, & animam noſtram pretioſo Ieſu ſanguine purpuramus, in quo exiſtit religioſa hujus potus ebrietas, per quam excedimus Deo, &,* *Serm. de cœn. Dom.*

qua

quæ retro sunt, obliti, ad anteriora extendimur.

Hom.83. in Matth. Piè S. Chrysostomus ait, nos *ut spiritus gratiam trahamus*, eo desiderio, seu *piâ aviditate*, in communione sacra, debere adhærere vulneribus Domini, quæ *ubera vocat poculi spiritalis*, quâ matrum uberibus infantes inhærent.

Lib. de Subst. dilect. *Suge ergo, suge anima mea*, inquit Augustinus, *inhære, adhære quasi apicula, sume, fruere, immergere, replere, quia ille deficere nescit, si tu non incipis fastidire, si sempiternus est gustus, sempiterna quoque beatitudo erit. Suge*, inquit Ep.351. Bernardus, *non tam vulnera, quàm ubera Crucifixi, ipse erit tibi in matrem, tu eris illi in filium.* In sacra itaque corporis, ac sanguinis Domini communione, vulnera ejus nobis tot ubera sint, ex quibus cum D. Chrysostomo spiritus gratiam, pietate atque aviditate omni, trahamus.

Aloysius Iuglaris Elogio 86. Fecit Dominus Iesus, uti scribit ille è Societate nostra, quod

Bona Mater paritura subinde filios:
Vt qui à se vitam habent, abundantiùs habeant,
Multiplicat ubera sua.

Elog.70. Et alibi.

Vbi quasi parturiens exclamasset,

Quos

Quos in lucem ediderat filios lactaturus
Mammillam cordis aperuit.

Aliam nobis rationem colendi vulnera Domini, eorumque memoriam conservandi, suggerit Origenes. Nam ubi anima sancta ait, *fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*: ipse cùm LXX. Interpretibus legit, *Quia vulneratæ charitatis ego sum*: quasi illa dicat: non aliam se velle charitatem, non aliam justitiam, non aliam humilitatem, atque patientiam, non aliam obedientiam, non alium ergo bonum proximi zelum, non aliam misericordiam, non aliam virtutem, non aliam denique esse se quàm victimam, quæ in sacris Domini vulneribus tamquam totidem altaribus perpetuò dedicetur: ut virtus omnis, Origene teste, à nobis ad exemplum vulnerum Salvatoris exercita, perpetuam illorum memoriam ac cultum, in animis nostris conservet, atque augeat.

Hom. 3. in Cant.

Cant. 2.

MO-

MODVS RECITANDI CORONAM SACRORVM QVINQVE VVLNERVM CHRISTI IESV.

Cant. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum; ut signaculum super brachium tuum.*

OBSERVA.

QVinquies recitanda est oratio Dominica, in honorem Vulneris uniuscujusque, & unica Salutatio Angelica ad unumquodque numisma, ad honorem Matris afflictissimæ Filio condolentis, ut ab eo quod per sacra illius vulnera petimus, nobis clementer impetrare dignetur.

PRIMO.

Itaque hæc legens ad *vulnus sacrum sinistri pedis*, pete cum vera pœnitudine mise-

misericordem peccatorum tuorum condonationem.

SECVNDO.

Ad *dexteri pedis vulnus*, cum vero emendationis proposito, pete gratiam resistendi tentationibus, vitandi peccatorum pericula, & in virtutibus progrediendi.

TERTIO.

Ad *vulnus sinistræ manus*, pete salutarem timorem, & ab æterna damnatione liberationem.

QVARTO.

Ad *vulnus dexteræ manus*, magnâ cum fiduciâ, pete, ut æternam beatitudinem consequi possis.

QVINTO.

Ad *vulnus lateris*, pete, ut in eo tibi habitare liceat, & obtinere sincerum IESV ac MARIÆ amorem.

SEXTO.

Ad tria reliqua grana, in honorem *trium clavorum*, dic tertiò:

Eia Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.

SEPTIMO.

Ad *ſacrum Domini Caput.*

O bone Ieſu exaudi me.

Intra vulnera tua abſconde me.

OCTAVO.

Ad *Crucem.*

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

§. I.

Quàm antiquus ſit hujus coronæ uſus.

Chron.PP. Præd.p.1. l.1.c.61.

PIiſſimum, ſimul ac religioſiſſimum coronæ hujus exercitium, (quamvis non eâ methodo, quæ jam præſcribitur) videtur fuiſſe obſervatum à beato Hermanno Ordinis ſancti Dominici Religioſo; is cùm ſacris Domini vulneribus eſſet admodum deditus, diebus ſingulis illa crebrò flexis genibus venerabatur hâc Eccleſiæ uſitatâ ſalutatione: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum;* unicuique genu flexioni Dominicam ora-

orationem ſubjungens: quæ pietas Saluatori tantoperè accepta fuit, ut ſe Hermanno detectis vulneribus videndum exhibens, eum ad ſingula deoſculanda benignè invitaverit; quod ipſe ſummâ reverentiâ, atque devotione faciens, ex illis tantum hauſit ſolatiorum, atque ſi cœleſtem Beatorum dulcedinem jam deguſtaret. Vſque adeò ſuavis eſt uſus ſalutandi vulnera illa ſacroſancta.

Verùm diu ante Hermannum in uſu fuit hæc erga ſacra vulnera religio. Habet enim ſuum ab ipſa Deipara principium, uti teſtis eſt B. Ioanna Regis Galliæ filia, Annuntiatarum fundatrix. Conſueverat illa clavis quinque argenteis iiſque præacutis pectus excruciare, & unà in honorem ſacrorum Domini Ieſu vulnerum orationem Dominicam quinquies recitare, quod ſe à ſanctiſſima ac piiſſima Domini Matre dicebat edoctam, eamque faſſam, ſe hac devotione quotidie filii vulnera veneratam fuiſſe.

Barry in an. ſac. devot. 12. p. 1.

Emicuit & in hac pietate B. Mechtil-

Lib. 4. Grat. spir. c. 25.

dis in Comitatu Mansfeldiæ, Ordinis sancti Benedicti Abbatissa. Filias suas religiosas pia mater hortari erat solita, ut pro affectu, quo in sacra vulnera Salvatoris ferebantur, in illorum honorem partitione in singulas factâ, quinquies mille orationes Dominicas, & totidem salutationes Angelicas simul omnes recitarent. Quæ devotio Salvatori ita placuit, ut Mechtildi extensis brachiis, & patentibus vulneribus apparens dixerit, Patrem suum horum affectu placari, seque cùm quinquies tantùm oratio Dominica, & salutatio Angelica in illorum venerationem recitatur, mirum in modum recreari.

§. II.

Quàm gratus Salvatori sit hujus Coronæ usus.

NOn potest itaque non gratissimus accidere Salvatori novæ hujus Coronæ usus, à quo quæ non beneficia sperabimus, quando eandem percurrendo

rendo toties illi ſacra vulnera, piis conſiderationibus, veluti balſamo condita, repræſentamus. Nam quemadmodum Regi,qui ut ſubditos ſuos in libertatem ab hoſtibus vindicet, pro illis bellum gerens, & fortiter pugnans graviter vulneratus eſt, nihil contingere poteſt gratius, quàm ut liberati præliorum ac vulnerum memores, ea in tabulis depicta, ac palam ſpectanda proponant, grati animi ac devotionis erga liberatorem ſuum æterna monumenta. Ita & Salvatori noſtro nihil æquè placet, quàm certaminum ejus, cum antiquo animarum noſtrarum hoſte ſuſceptorum, & vulnerum in illis acceptorum devota memoria, quæ in Coronula noſtra, veluti in totidem tabulis, oculis noſtris exhibentur, & ipſe Dominus redivivus veluti totidem victoriæ ab hoſtibus ſuis reportatæ ſigna,in corpore glorioſo ſervavit, ut æterna illorum in animis noſtris ſit recordatio.

§. III.

Coronam hanc Rosario, seu Coronæ Deiparæ nihil obesse, sed illam ab hac magis commendari.

Pium ac benevolum lectorem hîc rogatum velim, ut sibi persuadeat novam hanc Coronam non proponi, ut piissimum usum, ac laudatissimum recitandi Deiparæ Virginis Rosarium ulla ratione impediat, aut obscuret. Quemadmodum enim istud in honorem, & memoriam gratiarum innumerabilium, quas à divina manu Deipara liberaliter accepit, à magno illo Patriarcha sancto Dominico institutum est, constatque orationibus Dominicis paucioribus, ac pluribus multò Salutationibus Angelicis, in quibus exordia recensentur Redemptionis nostræ. Ita Coronula hæc, quæ piè inventa est ob eandem Redemptionis nostræ memoriam, in sacris quinque Domini Iesu vulneribus consummatæ, tantùm usur-

pat

pat quinque ſalutationes Angelicas, & orationes Dominicas viginti quinque. Neque improbandus eſt hic uſus, ſicut in Italia, Hiſpania, Indiis, aliiſque Regnis ac Provinciis non improbatur Corona Ieſu, à ſancto RR.DD. Camaldulenſium Ordine pro veneratione annorum Domini, & ſacrorum ejus vulnerum, inſtituta: quæ triginta tribus orationibus Dominicis, & quinque Angelicis ſalutationibus conſtat, recitato ad Crucem Apoſtolorum ſymbolo. Cujus Coronæ devotionem ut promoverent Leo X. & Sixtus V. ſummi Pontifices, Indulgentias varias eam recitantibus conceſſerunt: ut cauſa non appareat, cur novæ hujus Coronæ pietas minus probari poſſit. Nam uti cruenta Filii vulnera cum Virgineis Matris uberibus rectè conveniunt: ita & Coronæ utriuſque invicem ſe promovebunt: ut à Matris uberibus, cum ſancto Auguſtino, ad Filii vulnera; & à Filii vulneribus ad Matris ubera confugiamus, & à Ieſu, ac Maria gratiam & miſericordiam impetremus.

§. IV.

Allocutio Zachariæ Prophetæ ad Salvatorem vulneratum, & introductio ad sequentes considerationes.

QVæramus ergo piâ sollicitudine ab optimo Salvatore, cum Zacharia Propheta, & dicamus ei: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Quàm diu putas, & quomodo,* inquit Rupertus, *& à quo, vel à quibus dicetur ei? Nimirum in sæcula sæculorum, sine cessatione, dicetur ei. & admirando admiratione ineffabili dicetur ei. & à Deo Patre, cui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, dicetur ei; & ab Angelis, qui in eum desiderant prospicere, dicetur ei; & ab hominibus, quos morte sua redemit, dicetur ei; Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? O magnum miraculum! ô mirum spectaculum*, exclamat Rupertus, *præsertim in Domino dominatore omnium, plagas eum habere in medio manuum suarum!* Quarum veneratione ut in Coronæ hujus usu utiliùs, ac suaviùs occupemur, decrevi piis animis quinquies

Cap. 13. v. 8.

Cap. 13. in Zach.

quies quinque considerationes, ad Dei ac vulnerati Salvatoris obsequium, & gloriam proponere, ut non uno tantùm, sed omnibus vitæ nostræ diebus, & nos dicamus ei : *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* nec manuum tantùm, sed & in medio pedum, lateris, ac cordis tui suavissimi, atque amantissimi.

Observandum in sequentibus Considerationibus, exiguum aut nullum fructum relaturum esse eum, qui in singulis Orationibus Dominicis singulas considerationes vellet perpendere. Id enim non nisi cursim fieri posset. singulæ autem ad unum vulnus expendendæ sufficient, vel certè si ita fert affectus, quælibet una consideratio extendi poterit ad omnia vulnera; ut enim hæc inter se habent commune meritum, ac parem dignitatem; ita & communia, ac paria elogia, & Considerationes habere possunt.

QVINQVIES QVINQVE CONSIDERATIONES CRVENTORUM VULNERUM CHRISTI IESV.



Psal. 50. COr contritum, & humiliatum Deus non deſpicies, uti Rex David contritus, & humiliatus teſtatur. Recitans itaque Orationem Dominicam quinquies, & ſemel Angelicam ſalutationem ad vulnus ſacrum ſiniſtri pedis, ora Deum, ut tibi pec-

peccata tua misericorditer condonet, excitando in te veram contritionem, non ex timore pœnæ alicujus, aut dolore jacturæ: sed ex vero Dei amore, quòd immensam illam bonitatem, tam benevolum ac benignum Patrem, tantâ malitiâ, ac contemptu, tot peccatis, tamque gravibus offenderis.

CONSIDERATIO I.

Vulnera Christi Medicina animarum.

DEus, cui proprium est misereri, verè sollicitus de filiis Pater, ita mundum dilexit, ut Filium suum unigenitum illi Medicum daret, ad curandos animarum nostrarum morbos, & quidem mortiferos. Vnde rectè S. Augustinus: *Bene nostis, charissimi, Dominum nostrum, & Salvatorem Iesum Christum à Patre datum esse Medicum Salutis æternæ, & ad hoc eum suscepisse infirmitatem naturæ nostræ, ne sempiterna esset infirmitas nostra.* *Serm. 18. de verb. Dom.*

Et perspicuè sanè Medicum se esse,

ac venisse ut nobis mederetur, ipse Salvator testatus est. Lucam audiamus: Cap.4. v.21. *Et venit*, inquit ille, *Iesus à Nazareth, ubi nutritus erat, & intravit secundum consuetudinem suam, die Sabbathi in Synagogam, & surrexit legere.* Cap.61. v.1. *Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat, spiritus Domini super me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde. Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in illum. Cœpit autem dicere ad illos, quia hodie hæc scriptura* (Medicum scilicet me à Patre missum esse) *impleta est in auribus vestris*; mederi enim veni contritis corde, oppressis scilicet à peccato animabus, uti loquuntur interpretes.

Quod iterum alibi Dominus ipse Matth. c.9. v.11. affirmat. Nam Capharnai à Levi Publicano, qui deinde Apostolus & Euangelista Matthæus dictus est, ad mensam vocatus, cùm plures ille ejusdem conditionis convivas adhibuisset, nec cum illis accumbere Salvator detrectaret, indignè id ferentes Pharisæi: *Quare*, ajunt, Domini discipulos allocuti,

ti, *cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester?* quibus Salvator ipse: *Non est opus*, inquit, *valentibus medicus, sed malè habentibus, euntes autem discite quid est: misericordiam volo & non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Inter quos veluti misericors Medicus, accumbebat, ut vulnera ac morbos curaret, quibus illorum animæ laborabant.

Osea 6. v.6.

Narrat Herodotus solere Ægyptum Medicis abundare; neminem tamen eorum præterquam ægri unius curam suscipere solitum esse, ut ita omnem artem & industriam uni rectè sanando impenderet. Non ita Medicus noster, qui uti Matthæus ait, *circuibat totam Galilæam, sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Et S. Lucas: *Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, deducebant ad eum, & ille singulis manus imponens curabat eos.* Non uni ergo infirmo Medicus est Salvator, sed omnibus, à quacumque detinentur infirmitate, solâ manus impositione, quamquam sic singulis omnem divinæ suæ medicinæ opem impendit & operam, tamquam unis & unicis suis.

Lib.1.

Cap.4. v.23.

Cap.4. v.40.

ſuis. Quam manum medicam prò te anima mea cruci fixam, ac vulneratam reverenter exoſculare & ſalutarem ejus opem infirmitatibus tuis curandis implora.

Io. cap. 11. *v.* 3. Lazarus Marthæ, ac Mariæ frater in morbum inciderat: Sorores è familia ſua certum hominem mittunt ad Ieſum, qui dicat ei: *Domine, ecce quem amas, infirmatur*; quod amanti dicere ſatis erat. *Matth. c.* 8. *v.* 5. Centurio pro ſervi ſui valetudine obſecrat. Reſpondet Dominus, *Ego veniam, & curabo eum.*

Domine Ieſu, ecce animæ, quas amas infirmantur: veni ergo iſtis tuis benedictis & perfoſſis pedibus, & cura eas; veni iſtis tuis benedictis & perfoſſis manibus, & has ſuper eas impone, & bene habebunt; veni iſto tuo benedicto & transfixo latere, ut in hoc tanquam in divinum Nozocomium admittantur, & à te medico miſericordiſſimo curentur; nam extra medicas illas tuas officinas, nulla animabus noſtris ſalus eſſe poteſt.

Inter roſas ea eſt, quam pentaphyllam

lam à totidem foliis vocamus, quæ aquis suis, oleo unguento, aliisque quæ ab illa conficiuntur medicamentis, vulneribus curandis, morbisque pellendis admodum opportuna est. Pentaphyllam hanc rosam legimus in sacratissimo Dominici Corporis horto sanctissimis ejus quinque vulneribus constantem, quæ aqua, & sanguine suo pretioso, divinisque suis meritis, misericordiæ veluti oleo certam animarum nostrarum vulneribus, ac morbis omnibus medelam adferunt. *Forn. præfat. in ros. pent.*

Hoc rectè S. Bernardus intellexit, cùm ait, *Nihil tam efficax esse ad curanda conscientiæ nostræ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm est Christi vulnerum sedula recordatio*, quæ eâ de causâ, multò antè Bernardum, D. Leo, in Domini Corpore servata dixit, quia hujusmodi sanctæ cogitationes magnam vim habent excitandi in nobis verum de peccatis commissis dolorem, ac sincerum erga Deum amorem, à quibus in Domini Iesu vulneribus animarum nostrarum sanitas integerrima speranda est. *Serm. 62. in Cant.*

Filii

Num. 21. v. 9. Filii Israel Deo rebelles, in deserto, serpentum morsibus læsi, æneo serpente conspecto, quem jussu Dei in stipite Moyses erexerat, à venenato vulnere curabantur. *Cont. Idolo. c. 5.* Effigiem ænei serpentis, ait Tertullianus, *formam designasse Dominicæ crucis. Si ergo quispiam*, uti monet Adrianus I. Pontifex, *Ad Carol. Mag. Reg. Fran. ep. 1. art. 1.* *percussus fuerit à serpentibus peccatorum, Christum crucifixum intueatur, & habebit sanitatem.* Mosaïcus autem ille serpens neque è lapide, neque è ligno, aliáve materiâ confectus, sed ex ære, non sine mysterio fusus erat. Æs enim *Camer. lib. 1. hist. cap. 14.* Ægyptium conservat humana cadavera, quibus populi illi, ne computrescerent, clavos æreos infigebant. Non secus à peccatorum corruptelâ animas nostras conservabunt clavi Domini Iesu, si illis cruci ejus configamur.

Atque ut in efficacissima hac medicina quærenda & adhibenda piè soliciti simus, ingenti nobis erit stimulo quod subiicio, habeoque ex fide digna relatione. Vir princeps spectatæ virtutis Dominicæ Passioni admodum devotus erat, qui nullâ non nocte, antequam

quam quieti ſe daret, Chriſti in Cruce pendentis (quam in menſa ſua ante oculos ſemper habebat) pedes oſculabatur. Æmulos patiebatur Principis optimi virtus. Convenerunt illi cum cubiculi ejus præfecto de tollendo per venenum Domino, quod perfidus ille Crucifixi pedibus immiſcuit, ut dum his de more Princeps oſculum daret, præſentiſſimi veneni peſtem ſpiritu ipſo hauriret, & in viſcera tranſmitteret. Verùm Deus, qui populo ſuo adverſus ſerpentum venena, in Crucis ſuæ figura adfuit, in ejuſdem effigie ſervo ſuo non defuit. Cùm enim pro conſuetudine ſua Princeps, priuſquam decumberet, crucifixi ſui pedibus oſculum ferret, reluctatus eſt in imagine ſua Dominus, atque oſculum non admiſit. Perculſus rei novitate Princeps verebatur, ne occulto aliquo crimine hujus repulſæ dediſſet cauſam. At cubiculi præfectus Dei providentiâ erga Dominum ſuum permotus, illi ad genua accidit, rem à ſe perfidè geſtam aperuit, culpam ſupplex deprecatur, fa-

cilemque teterrimi facinoris veniam, non tanquam à Principe ac Domino, sed velut ab amantissimo Patre impetrat. Eia anima mea, ad benedicta sacrorum Domini pedum vulnera semper confugito. Habes enim in his præstantissimum, contra omnium scelerum venena, antidotum.

Neque vulnera Domini animarum nocentioribus, ut ita dicam, venenis, deviis scilicet cogitationibus, quibus veluti pedibus itur ad malum, sed earundem morbis omnibus, quibus intellectus, voluntas, memoria, omnesque sensus nostri validè opprimuntur, opportuna sunt medicamenta. *Iacet*, inquit Augustinus, *toto orbe, ab Oriente usque ad Occidentem grandis ægrotus, sed ad sanandum grandem ægrotum, descendit omnipotens Medicus. Humiliavit se ad mortalem carnem, tanquam ad ægroti lectulum*, sacratissima sua nobis aperit vulnera, veluti tot officinas medicas, in quibus contra omnes animæ nostræ morbos remedia affluunt. *Ingredere*, ait S. Bonaventura, *has vulnerum Domini Iesu apothecas, & accipe, in illis medicinam sanativam,*

Serm. 59. de verb. Dom.

P. 1. Stim. c. 1. apud Molanum de sindone.

tivam, restaurativam, præservativam, & conservativam. Ibi quæcumque appetis electuaria reperies, quæ animæ tuæ stomachum fastidientem ad divinum gustum restituant. Sanabuntur languores tui, inquit Augustinus, *noli timere, magni sunt, inquies, sed major est Medicus: Omnipotenti Medico nullus languor incurabilis occurrit.* Et sanctus Ambrosius; *Vulnus est,* inquit, *quod Christus accepit, sed medicina est, quam effudit.* *In Ps. 102.* *In Ps. 118.*

Magnum ægro solatium est cùm Medicum benignum, sibiq́ue habet compatientem, & simul omnipotentem. Is nobis Dominus Iesus est, ait Drogo S.R.E. Cardinalis: *Clamat,* inquit ille, *Salvator de cruce, O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus, nemo est qui audit, nemo est qui consolatur, nemo est qui respondeat. Sitio, inquit Dominus. Quid sitis mi Iesu? Ergóne plus cruciat sitis, quàm Crux? De cruce siles, & de siti clamas, sitio! Quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium, plus animarum vestrarum dolores, quàm corporis mei cruciatus me affligunt. Hæc nobis de cruce clamans, & carne tua sanctissima, veluti mundissima sindone sacrorum vulnerum tuorum balsamo* *De sacram Dom. pass.*

peruncta, alligas vulnera animarum nostrarum. ô samaritanè misericors, & sauciis atque ægris tuis compateris compassione inenarrabili.

Cap. 3. v. 7. Apud Isaiam *apprehendebat vir fratrem suum, domesticum patris sui: vestimentum,* inquiens, *tibi est, Princeps esto noster.* At ille respondebat. *Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum. nolite constituere me Principem populi.* Eia Domine Iesu, frater noster es, domesticus Patris tui, & Patris nostri, esto Princeps noster. Nam Medicus es, & quidem omnipotens, panis tibi est in domo tua, panis, inquam, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Vestimentum tibi est, & quidem nuptiale, quo qui induitur, è cœlesti mensa tua non eiicietur. Esto ergo Princeps noster, ô Medice omnipotens, & sana animas nostras, quia peccavimus tibi.

Eccles. c. 3. v. 1. *Honora,* inquit Sapiens, *Medicum propter necessitatem.* Quæ verò animarum nostrarum major necessitas, quàm eas criminum suorum morbis, atque vulneribus mori æternam mortem. Hanc ut evadamus de Sapientis consilio omni-

omnipotens nobis Medicus honorandus est. At quis Medicus tantò in ægrum suum fuit affectu, tantaque illum prosecutus est commiseratione, ut pro illo sanitati restituendo, ejus in se morbos suscipere, vulneribus confici, sanguinem suum profundere voluerit? Voluit id, teste Isaia Salvator; *qui verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & suscepit omnes infirmitates nostras, ne æterna esset*, uti D. Augustinus ait, *infirmitas nostra.* Nesciebam, inquit Bernardus, *sanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis filius, Filius Dei altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis sui balsamo medeatur. Agnosce, ô homo, quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari, si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur.* cap. 53. Serm. 3. de Vigil. Nat. Dom.

Eduardus Angliæ Rex in prælio sagittâ veneno infectâ læditur. sine remedio erat vulnus medicorum judicio, nisi venenum quispiam exsugeret. Audiunt consilium Regii cubiculi Præfecti: horrent omnes. Audivit & Roder. de reb. Hisp.

Regina, quæ Rege dormiente, suspenso gradu, horrore nullo, amore summo ad lectum accedens, os vulneri intrepidè admovet, sibique in viscera venenum, & mortem attrahit, Regique vitam interitu suo conservat.

O amor Salvatoris amantissimi quàm immensus es! Telo venenatissimo flagitiorum nostrorum vulnerati omnes eramus, remedium malo huic mortifero nullum erat aliud, quàm, ut omnipotens Medicus vulnera sua sacratissima quasi tot ora vulneribus nostris applicaret, venena exsugeret, vitam sibi tolleret, nobis daret. Suavi ac jucundo ausu medicinam hanc in vulneribus Salvatoris reperit sancta Gertrudis, Ordinis sancti Benedicti in Germaniâ Abbatissa. Hæc quodam Veneris die, dum sacram Domini passionem meditaretur, ut Iesu suo patienti solatium aliquod adferret, credens id sibi licitum, extractis è Crucifixo suo clavis ferreis, aromaticos substituit. Sollicita deinde quasi levitate aliqua peccasset, à Salvatore intellexit magnoperè

Lib. 5. Inst. divinæ piet. c. 45.

perè ſibi innocentem hanc pietatem placuiſſe; atque ab eo tempore, ex ſuis ſe vulneribus pretioſum ſanguinis ſui balſamum in animam ejus effudiſſe, ad omnes ejus ſanandas infirmitates; ſeque idem facturum omnibus, qui ſacra ipſius vulnera, quâ decet religione venerarentur.

Neque animarum tantùm, ſed corporum etiam morbos, Domini vulnera tollunt. Gravi capitis dolore affligebatur beata Mechtildis, invitatur à Salvatore, ut quod voluerit pro remedio, vulnus ſui ſacri Corporis ſubeat. Remedium illa amplectitur, ſed vulneris delectum Domino relinquit, qui eam ad ſacri lateris vulnus invitat, quod ipſa piâ meditatione ingreſſa, omni ſe liberam dolore protinus ſenſit. *Lib. 2. grat. ſpir. c. 22.*

Venite animæ, vulneratum Dominum amantes, *& emite abſque argento, & abſque ulla commutatione* in vulneribus Salvatoris medicinam infirmitatibus veſtris plurimis, & maximis: lacrymula una, ſuave unum ex imo pectore ſuſpirium ſatis erunt, quæ bonæ peccato- *Iſaiæ 55. v. 1.*

rum confessioni juncta, in sacratissimo Domini sanguine medelam certam morbis nostris invenient.

CONSIDERATIO II.

Vulnera Christi Fontes aquarum viventium.

Num. 20. v. 6. AQuam petebat in deserto populus Israël, pro quo Moyses orans, ait: *Domine Deus, audi clamorem populi, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ. Et jubente Domino, percussit virgâ bis silicem, & egressæ sunt aquæ largissimæ.* Aptè hîc B. Petrus Damiani S.R.E. Cardinalis, *Petra illa*, inquit, juxta Apostolum, *Christus erat. Accedit virga ad silicem, & haurienda populis aqua producitur: adhibetur crux Christo, & omnium corda credentium irrigantur. Quod Sacramentum, & ipse Moyses per spiritum non ignorasse cognoscitur, si ejusdem subtiliter verba pensentur; Aperi*, inquit, *Domine, thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ. Neque enim tam magnificis ac divinis verbis elementum describeret, ex cavernis, videlicet terræ profluum, ac deinceps in secessum cuniculos*

Serm. de Exaltat. S. Crucis.

culos egerendum. Nunquid enim dignum fuit viles aquas, Dei appellare thesaurum? Dei thesaurum aquam illam procul dubio nominat, etiam assentiente Damiano, quæ è latere Iesu lanceâ transfixo cum sanguine continuo exivit, junxitque se manuum ejus, ac pedum perforatorum divinis fontibus. Ita Petrus Damiani. Id quod diu ante illum, etiam observarunt Severianus Gabalonensis in Syria Episcopus, & Macarius Archiepiscopus Philadelphensis, qui ajũt, *à Moyse, primo ictu directè in petram librato, venâ scaturire incipiente, secundo, obliquè & transversim, aquas egressas esse largißimas*; ita & in cruce è recto, & transverso ligno confecta; sacro Christi Corpore clavis, directè percusso, divini ejus sanguinis primæ se scaturigines aperuêre; at verò corde ipso à dextero latere, lanceâ transversè verberato, totius sacratissimi sanguinis egressæ sunt aquę largissimæ, ad curandam omnem animarum necessitatem, aquarum viventium thesauris, à Moyse prænunciatis.

Orat. 4. de S. Cruc.
Orat. de exaltat. S. Crucis.

Quatuor fontes in Salvatore nostro

Serm. 1. de Nat. Dom. reperit, & aperit S. Bernardus, I. *est ad abluendas sordes.* II. *ad levandam sitim.* III, *ad rigandum.* IV. *ad cibos decoquendos*; quod in Scandia fieri narrat Abrahamus Ortelius, ubi fontem esse ait adeò calentem, qui sine ullo ignis adminiculo, elixet omnia. Primum fontem vocat Bernardus *Misericordiæ*. Secundum, *divinæ Sapientiæ*. Tertium, *Devotionis*. Quartum, *Æmulationis, & sancti zeli. Quatuor hos fontes adhuc in carne viventibus nobis, in semetipso Christus exhibuit.* Quintum, *qui est fons vitæ, post hoc sæculum repromittens; ad quem sitiebat Propheta cùm diceret; Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Fortassis etiam propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc vivens in cruce; propter quintum, cùm jam tradidisset spiritum, transforatus est in latere. Vivebat adhuc cùm fodiebantur ei manus, & pedes, ut nobis adhuc viventibus quatuor fontes ex se ipso proferret. Quintum protulit vulnus lateris cùm jam exspirasset, ut in se nihilominus quintum nobis fontem post obitum aperiret. Haurite dilectissimi*, clamat Bernardus, *in gau-*
Is. 12. v. 1. *dio aquas de fontibus Salvatoris, de vulneribus Iesu. Et primus quidem communis est omnibus; in*

multis

multi enim offendimus omnes, & necessarium habemus misericordiæ fontem, ad abluendas offensionum sordes: Omnes namque peccavimus, & egemus gloriâ Dei. Quia ergo nemo mundus à sorde, necessarius est omnibus fons misericordiæ, ex sacris Domini vulneribus fluens. Ita Bernardus.

Aquæ in urbe Hierosolymitana, in quibus oves ad sacrificium abluebantur, *Bethsaida* apud S. Ioannem Euangelistam nuncupatæ, quinque porticibus cinctæ erant. *C.5.v.2.* Domini Iesu sanguis, ex quinque ejus vulneribus, quasi totidem porticibus fluens, aquas nobis dat, in quibus ipse, Agnus ille innocens, scelerum nostrorum sordes, quas in se susceperat, abluens, de se ac nobis immaculatum Deo obtulit holocaustum. Ad has aquas pœnitens David anhelabat, cùm mundari desiderans, ita oraret: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* *Ps.50. v.3* Ad harum aquarum fiduciam nos excitat Apostolus, cùm ait: *Si sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum, semetipsum obtulit imma-* *Heb.9. v.13.*

maculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.

[B]rev.Rom. [.]De[c]emb. Leprâ infectus erat Constantinus Imperator, suadebant Medici ut ex infantum sanguine balneum sibi pararet, eoque lavaretur. Dissuaserunt impiam crudelitatem sancti Apostoli Petrus, & Paulus, illi per noctem visi, monueruntque si curari vellet, Silvestrum Pontificem in Soracte Monte latitantem accerseret, à quo, in baptismate, sacro Domini sanguine ablutus, corporis sanitatem recuperaret, & animæ obtineret: primus inter Romanos Imperatores, qui fidem Christianam complexus, toto eam orbe propagavit.

Balneum hoc salutare nobis aperit [O]rat.6. S. Gregorius Nazianzenus, quando cum Apostolo monet, ut emundemur ab omni inquinamento carnis, & spiritus, & cum Propheta, ut lavemur, & mundi efficiamur. *Neque enim purus Deus*, inquit, *tanto in pretio quidquam habet, quàm puritatem, & peccatorum purgationem*: quam ut consequamur, pretiosi sanguinis sui

bal-

balneum, in vulneribus ſacratiſſimis, divino amoris igne ſuccenſum, nobis apparavit. Divi Nazianzeni pietati ſubſcribit S. Cyprianus. *De latere tuo*, inquit, *Domine Ieſu, fons egreditur, ex hoc non ſolùm ablutionis primæ, Baptiſmi ſcilicet, venas haurimus, ſed & compunctionis, & lacrymarum perennes effluunt rivi, miſericordiarum tuarum, & totius pietatis teſtes, quando in peccata relapſis ſecunda ablutione opus eſt.* Ad hoc argumentum appoſitè ille, Serm. de Reſur. Dom.

Quos cùm non poſſet dare fontes ex oculis, Aloyſ. Iug. elog. 76.
Dedit ex latere.
Ita hoc voluerat novo argumento probatum,
Iniquitates Mortalium
Se planè abluiſſe ex corde.

Hic eſt fons ille, de quo Propheta Zacharias; *In die illa erit fons patens domui Iacob, & habitatoribus Ieruſalem, in ablutionem peccatorum.* Cap. 13. Fons hic, ex communi Patrum ſententiâ, eſt Chriſtus Dominus, qui, ut ait S. Gregorius, ab æterno in ſinu Patris clauſus, quando venit plenitudo temporis, clavis, ac lanceâ, in cruce, apertus fuit, ut in ſacro vulnerum ſuorum ſanguine lavaret nos à pecca- Lib. 6. ep. c. 186.

tis

In ps. 142. tis nostris. Vnde rectè D. Augustinus: *Quoniam fons vitæ, tu es Domine; ad te levavi animam meam, non contra te; tanquam vas attuli eam; imple ergo me, & lava me. Elue*, inquit Hugo Victorinus, *Domine Iesu, culpam, quam non fecisti, munda corpus, quod plasmasti, lava animam, quam tuâ imagine signasti.* Meritò queritur D. Gregorius quamplurimos hærere in peccatorum suorum sordibus, cùm tamen satis illis sit prospectum; multique in divinæ misericordiæ fontibus animas abluerint, *quærere*, inquit, *deberemus misericordiæ fontes, etiamsi clausi essent. Patent modò in vulneribus Salvatoris, & tamen à nobis negliguntur.* (Hom 20. in Ezech.)

At non illos neglexit S. Catharina Senensis, quam, ut refert Blosius, cùm Diabolus vellet decipere, & ad nimiam pusillanimitatem, seu ad desperationem adducere, nitens ei persuadere quòd vita ipsius falsa, inutilis, & perversa esset; illa à Dei bonitate edocta humiliter, elevavit mentem suam ad misericordiam divinam, dicens; *Ego apertè Creatori meo confiteor, me quotidie in tenebris fuisse, maleque vixisse: verumtamen latitabo* (In concl. animæ cap. 1.)

in vulneribus Domini mei Iesu Christi, & omnium iniquitatum meurum maculas pretioso sanguine ejus abluam, atque cum sancto desiderio jugiter gaudebo in ipso Creatore, & Redemptore meo, neque desinam cum Propheta pro necessitate *Is. 12. v. 3* *animæ meæ haurire in gaudio aquas de fontibus, de vulneribus Salvatoris.* quâ virginis pietate ac fiduciâ, mox dæmon in fugam conversus est.

Catharinam imitabatur Maria Claudina, Burgunda Cœlestina, quæ peracto quotidie examine vespertino, vulneri lateris Domini se committebat, in eoque diei istius defectus eluebat, orans ac obtestans, ut eâ nocte, isto in refugio, ab inimici insidiis custodiretur. *In Elog. eius M. S.*

Neque animæ tantùm in sacris Domini vulneribus, à peccatorum sordibus expurgantur, sed novâ etiam gratiâ *supra nivem dealbantur*, ut canit Propheta *Psal. 50.* Regius, cùm non minor sit sanguini Salvatoris, quàm aquis illis, virtus, quæ oves, quas nigro vellere accipiunt, albo reddunt. *Plinius Lib. 2. c. 103.*

Iuvenis genere ac moribus nobilis, urbem præclaram admodum, sibi per spe-

Adm. R. P. Noſt. Vinc. Carraſa l. 3. Faſ. conſ. 24.

ſpeciem oblatam in excelſo ardui montis cacumine ſitam conſpexerat, cujus ingenti deſiderio tenebatur; verùm dum cruentum flumen horret traiicere, quod montem undique cingebat, animadvertit nonnullos ſpectatæ formæ viros in eo veſtes ſuas abluere, quibus laborantibus ſubſidio veniebat alius cultu & formâ diſſimilis. Ex hoc juvenis quærit, Quæ urbs? quod flumen? qui viri? Cur veſtes abluant? quis ipſe? Civitas illa, inquit hic, cœleſtis eſt Hieruſalem; flumen, ſanguis Agni, in quo lavant viri iſti ſtolas, hoc eſt, animas ſuas, quia *nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum*; illis te junge, & qui ſint intelliges. Ego ſum Ieſus Salvator tuus, qui ſervos meos adjuvo, quia ſine me nihil poſſunt facere. Confirmatus hac viſione juvenis, ſæculo nuncium remittens, Monaſterium ingreditur, in quo eos omnes agnovit, quos in ſanguine Agni, in vulneribus, ſcilicet Salvatoris, veſtes viderat abluere, qui raro virtutis exemplo, & inſigni mundæ, atque immaculatæ conſcien-

Apoc. c. 21. v. 27.

tiæ

tiæ teſtimonio reliquis prælucebant.

Emundemur itaque, & nos in flumine iſto, in ſanguine Agni incontaminati, in cruentis Domini Ieſu vulneribus, quæ in ſacra confeſſione, atque Communione, veluti totidem fontes, ad ablutionem peccatorum, nobis reſerantur.

CONSIDERATIO III.

Vulnera Christi

Advocati peccatorum.

LIti graviſſimæ, à qua omnia dependent, peccator implicatur. Actor eſt diabolus, rea conſcientia, Deus judex, quem nihil latet, cui patent arcana cordium, cujus æquiſſima ſententia revocari non poteſt; adeò ut Advocato ac patrono perito, fideli, atque ſollicito indigeamus: ipſi enim apti non ſumus, qui cauſam noſtram æternitatis decretoriam, agamus; ſiquidem viliſſimi tantùm terræ vermiculi ſumus, quibus ne-

que fas est, neque facultas verbum ullum, coram summa illa Dei Majestate, proloqui.

Confide nihilominus anima mea, nec spem abjicias. Vbi Iudicis filius Advocatus esset, de causa clienti bene sperare liceret. Sed quod apud homines non licet, apud Deum permittitur.

1.Tim.2. v.5. Audi Apostolum: *Vnus Deus*, inquit, *unus & Mediator Dei & hominum, Homo Christus Iesus*. Ecce Advocatum tuum & Mediatorem, Dei, & Iudicis filium, in quo ei bene complacuit, & complacet semper. Quid tanto Patrono desperemus peccatores?

Sur. in vita. 26. Feb. S. Porphyrius Gazæ Episcopus, Constantinopolim cùm venisset, Arcadium Imperatorem obsecraturus, ut Idolorum templa demoliri sibi liceret, non ignorans magni momenti rem, & quæ foret impetratu difficilis, se agere, ingeniosâ industriâ, cùm infans Theodosius, qui illis diebus Cæsari natus erat, à sacro Baptismate ad Palatium reportaretur, purpuræ puero instratæ supplicem libellum imposuit, ab illo

veluti Arcadio offerendum, quæ nati libellum offerentis ſpecies efficaciter peroravit apud Patrem Cæſarem. Arcadius enim piâ Porphyrii arte recreatus, ſanctum Præſulem voti compotem fecit, ac benignè dimiſit. Aptè ad hoc argumentum Bernardus. *Ad Patrem verebaris accedere? ſolo vocis ejus auditu territus fugiebas? Ieſum tibi dedit Mediatorem. Quid non apud talem patrem, talis filius obtineat? Exaudietur utique pro reverentia ſua.* *Serm. in Nat. Deip.*

Ad hanc fiduciam Salvator ſanctam Mechtildem excitavit, cùm ei faſſus eſt, vulnera ſua, uti in cruce patuerunt, ita patere modò, & fore, ut ſemper pateant, ut ad Patrem pro nobis clament, & Mediatorem agant. *Filioli,* inquit ſanctus Ioannes; *hæc ſcribo vobis, ut non peccetis, ſed & ſi quis peccaverit Advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum juſtum.* In quem locum D. Auguſtinus. *Ibi habes Advocatum, noli timere, ut perdas cauſam Confeſſionis tuæ. Si enim in hac vita commiſit ſe homo diſertæ linguæ, & non timet, committis te verbo, & periturus es? Clama, Advocatum habemus apud Patrem; qui tot ora habet quot vul-* *Ep. I. c. 2.*

nera, quibus causæ nostræ patrocinetur.

Magno solatio est, quod apud Rupertum lego. *Potuit*, inquit ille, *Dominus Iesus virtute quâ surrexit, clavorum & lanceæ penitus extirpare, & explanare vestigia; sed servanda erant oculis paternis, decentia Filium Dei, charitatis, & obedientiæ signa veneranda, nostræ causæ patrocinia, nostrique amoris æterna incitamenta, & horroris impiorum æterna incendia.* Quid gravius? quid suavius dici posset? S. Gertrudi quodam tempore pro zelo suo admodum sollicitæ, quodnam, ex quamplurimis, quæ à Domino hauserat, documentis, homini maximè esset utile, dictum divinitus est; nihil æquè nobis conducere, quàm ut intelligamus, quotiescumque cogitatione pravâ, noxiis desideriis, operéve malo delinquimus, toties Salvatorem Patri suo cor transfixum, manus, ac pedes perfossos repræsentare, ejusque iram hoc sacrificio placare; adeoque impetrare peccatori gratiam, ut à sceleribus suis, per veram pœnitentiam resipiscat. Confirmat hoc piâ sanè, & melliflua suavi-

Lib. 4. in Ioan.

Apud Blos. Mon. Sp. c. 1.

ſuavitatis plenâ ſententiâ D. Ambroſius, cujus piam eloquentiam amplificare licitum mihi erit: *Ipſe*, inquit, *Chriſtus ore ſuo, felle, & aceto potato, os noſtrum eſt, per quod Patri loquimur, atque iram ejus placamus: corde ſuo, quod lanceâ transfixum eſt, cor noſtrum eſt, per quod Patrem amamus: oculi ejus ſanguineis lacrymis fluentes, oculi noſtri ſunt, per quos Patrem videmus: manus ejus clavis confoſſæ, manus noſtræ ſunt, per quas nos patri offerimus: pedes ejus vulnerati, pedes noſtri ſunt, per quos, ut Filii prodigi, redimus ad Patrem; ut totus Salvator quantus eſt, & quidquid in eo eſt, nobis patrocinetur.* *Lib. 1. de Iſaac, & anima, c. 8*

Marcus Antonius Orator Romanus cùm apud Senatum, reum quempiam defendendum ſuſcepiſſet, arrepto illius ſago multis confoſſo telis, ſanguine conſperſo, ac teſtante vulnera, quæ pro patria acceperat, magis ad clementiam, hoc ſpectaculo Iudices, quàm eloquentiâ ſuâ commovit. Salvator noſter, inquit Apoſtolus, cœlum ingreſſus eſt, *ut appareat vultui Dei pro nobis, utque reſervatæ in corpore plagæ,* *Apud Cartag. Tom. de Paſſ. Dom.* *Heb. 9. v. 24.*

Serm.3. de Bap. uti ait S.Cyprianus, *salutis humanæ à patre exigant pretium, & obedientiæ donativum*. Et D. Anselmus pari pietate, ac fiduciâ; *Ingressus est*, inquit, *Salvator in cælum, ut appareat præsentiæ, ac benevolentiæ Dei patris, intercedens pro nobis & sacra vulnera ostendens, quæ pro redemptione nostra pertulit. Miro enim & ineffabili modo, eum, qui nihil potest oblivisci, qui semper misereri paratus est, absque intermissione, Dominus Iesus admonet, quàm congruè hominum misereri debeat, pro quibus, ipse cum morte confligens vulnera hæc reportavit.* Ita Anselmus.

In Ep. ad Heb. c. 9.

Ioannes eo nomine secundus Portugalliæ Rex, Passioni Domini mirè addictus votum fecerat nihil se unquam negaturum, quidquid, interpositis quinque Salvatoris vulneribus, rogaretur. Die Veneris sancto, ad templum eunti, ut Crucifixum Dominum, de more veneraretur, occurrit mulier, quæ per Christi mortem, ac vulnera marito capitis damnato veniam, vitamque orabat: Majora, inquit Rex, vellem intercessoribus ac mediatoribus

Vascon. de Reg. Lusit.

bus iſtis, à me poſtulaſſes, vitam dono marito, pro amore ejus, qui die hoc, æternam vitam, ſuo nobis ſanguine, ac morte donavit. Et Deus, cujus paternus affectus in filii ſui dilecti vulneribus ſpirat, non miſereatur noſtri, quando his, veluti totidem patronis, apud ipſum utimur?

Pietatem noſtram in ſanctos Martyres provocat S. Chryſoſtomus, cùm ait, eos *abſciſſa capita manibus geſtantes, & in medium afferentes Deo exhibere, & quæcunque poſtulant, nobis impetrare.* ſi hoc ſervi poſſunt, quid non apud Patrem filius poterit, illi pro nobis transfixum latus ac cor, pedes atque manus perfoſſas, repræſentans? *Habemus,* inquit Apoſtolus, *novi teſtamenti Mediatorem, & ſanguinis aſperſionem, meliùs loquentem, quàm Abel*: dicam; & melius loquentem, quàm Martyres, quia clamant hi, & ille: *Vindica Domine ſanguinem noſtrum, qui effuſus eſt.* At ſanguis Ieſu, per vulnera, quaſi per tot ora, miſericordiam implorat, & obtinet. *Ideo,* inquit Anſelmus, *ſanguis Domini loquitur meliùs quàm Abel,* (de quo dictum fuerat,

Serm. de SS. Iuven. & Max. m.m.

Heb. 12. v. 24.

Heb. c. 12.

Genes.4. v.10. *quia vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra) quia sanguis Abel mortem parricidæ fratris petiit, sanguis autem Christi vitam persecutoribus impetravit; sanguis Abel expetit vindictam; sanguis Christi misericordiam; ille uni nocuit; iste multis profuit.*

Præterire hîc non licet virginem illam, eximium Belgii nostri decus, sanctam Ludgardem, cui alia omnia cogitanti, uti Domini Iesu vulnera viam ad ejus amorem, atque obsequium aperuerunt; ita & ipse eam in horum pro peccatoribus patrocinio sibi sociam adlegit. Venit enim ad illam Salvator, & nudatis lateris, manuum, ac pedum vulneribus: *Vide*, inquit, *mea Ludgardis, ut vulnera mea clament ad te, ne frustra fuderim sanguinem, mortemque sustinuerim.* Ad spectaculum hoc simul ac vocem, petit pia Virgo, quis sit ille vulnerum clamor? *Vt*, inquit Dominus, *precibus, ac lacrymis tuis, mecum Patris iram extinguas, ne peccatores in cineres redigat.* Alio tempore voluit Salvator, ut septenni jejunio Patrem secum mundo reconciliaret, quod dum illa facit pane solo, leguminibus, & aquâ

Sur. in vit. 16. Iunii.

victi-

victitans, patente cœlo Iesum videt vulnera sua recenti sanguine madentia, jejuniis ejus juncta, pro peccatoribus, Patri repræsentare; sibique deinde dicere; *Cernis filia, quomodo me totum offeram Patri tuo, pro meis peccatoribus? Ita & volo, ut te quoque totam mihi offeras pro meis peccatoribus, & iram meam in illorum supplicium accensam avertas.* Quàm dulcis, quàm amabilis vox hæc est in auribus peccatorum, quando eos toties peccatores suos vocat Dominus Iesus; qui duobus præterea locis eâdem nomenclaturâ in vita sanctæ hujus utitur, perinde ac si peccatores pignora ejus electa, solæque illi deliciæ forent, illosque sacris suis vulneribus, quasi totidem divinis annulis, gemmarum instar, insertos gereret, dum vultui Dei, hoc veluti ornatu decorus pro illis apparet; immensum suum in hoc peccatoribus affectum explicans, dum sanctorum suorum pro illis apud patrem patrocinium, in Ludgarde etiam visus fuit implorare.

Concludo cum verbis D. Augustini, qui- *Lib. 10. Confess. c. 43.*

quibus alloquitur cœleſtem Patrem; *Mediator*, inquit, *quem ſecretâ tuâ miſericordiâ demonſtraſti hominibus, & miſiſti, Mediator ille Dei, & hominum, Homo Chriſtus Ieſus. Quomodo nos amaſti Pater bone! qui filio tuo unigenito non pepercisti, ſed pro nobis impiis tradidiſti eum. Quomodo nos amaſti! pro quibus ille, qui non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualis tibi, factus eſt ſubditus uſque ad mortem, mortem autem Crucis; & nunc ad dexteram tuam ſedens ac vulnera ſua oſtentans interpellat pro nobis. Quomodo nos amaſti Pater bone!*

CONSIDERATIO IV.

Vulnera Chriſti

Vrbes refugii.

LEges non omni crimini aſylum concedunt, concedit Salvatoris erga nos pietas in ſacratiſſimis ſuis vulneribus quantumcumq; enormi. Quod obſervaſſe videtur Dongardus Scotorum Rex, qui pro ſuo in Salvatorem affectu ac religione, loca omnia illi ac ſacro-

Hect. Boët. lib. 18. Hist. Scot.

ſacroſanctæ ejus cruci ſacra, ſervis, fugitivis, ſontibus cujuſvis flagitii reis, toto regno ſuo, aſylum, publico edicto, eſſe juſſit; cavitque, ne quàm diu in illis laterent, ullâ auctoritate, ad judicium raperentur, memor procul dubio Dominum peccatoribus omnibus contra juſtiſſimam Patris ſui cœleſtis iram, in ſacris ſuis vulneribus ſecuriſſimum refugium præſtare.

Tres urbes refugii ſtatuerat Moyſes, Ioſue ſex, in quas, qui homicidii rei erant, ſe reciperent. Magne Deus, quantorum criminum me reum agnoſco! leve eſt homicidium, cùm me quaſi parricidam tui conſidero. quò à facie iræ tuæ confugiam? aut quis ſecuritati meæ locus aperietur? *Deut.4. v.43. Ioſ.c.20. v.8.*

Ne time peccatrix anima, civitatem refugii unam tibi conſtituo, in quam te recipias adeò munitam, ut nec cœlum, nec terra, nec inferi adverſus eam poſſint prævalere, de qua eleganter ille, *Iugl. Elog. 86.*

In civitatem refugii,
Quò facilior ſit reis ingreſſus,
Non in uno dumtaxat latere.

Sed

Sed & in omni angulo
Suam pandi januam decuit.

Civitas hæc est Cor Domini Iesu quinque patens januis, qui pro te mortuus & crucifixus est; quem tamen iterum peccatis tuis in te crucifixisti uti ait Apostolus, adeò tamen clemens, ac benignus est, ut in hoc suo Deicidio, tibi pro refugio, latus ac cor, totumque se offerat; sacris suis quatuor aliis vulneribus, ut in ipso securior lateas, quasi totidem propugnaculis communitum. Si quis fugerit, in aliquam scilicet designatarum urbium, vivet, ait Scriptura. *Tutum refugium*, ait Augustinus, *mihi præbent vulnera Salvatoris. Columba mea in foraminibus petræ. Hæc petræ foramina,* inquit Bernardus, *rectè quidam vulnera Salvatoris interpretatur. In his passer nidum sibi, & turtur domum invenit: in his columba se tutatur, & secura circumvolantem intuetur accipitrem.*

In Man. c.22.
Cant. 2. v.14.
Serm. 61. in Cant.

Manut. in Apot. l. 7. n. 135.

In vita Xenocratis, memorabilis refertur eventus qui ad rem nostram mirè facit. Passerem insequebatur accipiter, ille volatu vario, ac flexu hostem delu-

deludens, tandem anhelus, & jam jam capi, ac laniari metuens ad Chalcædonem ſub fago intuetur Senatum conſidere, in cujus medium convolans pro azylo Xenocratis ſinum occupat, qui aviculæ miſertus, atque ad collegas converſus, oportet, inquit, profugam, ac ſupplicem protegere. Eia anima mea, te accipiter tartareus, ut paſſerem mox diſcerpendum inſectatur, ecce Senatum ſacratiſſimum in Calvariæ monte ſub Crucis arbore congregatum, mortuum ſcilicet pro te Salvatorem in virgineo matris gremio depoſitum, Ioannem Zebedæi, Ioſephum Arimathęum, Nicodemum, alioſque de ſepultura defuncti Ieſu conſilia agitantes: Coniice te, ſi rapacem cupis hoſtem evadere, in ſacrum hunc conſeſſum, confuge in ſinum imò in latus Salvatoris tui. *Nam ubi tuta, firmaq; ſecuritas*, inquit Bernardus, *niſi in vulneribus Salvatoris? tantò illic ſecurior habitas, quantò ille potentior eſt ad ſalvandum. Fremat mundus, premat corpus, diabolus inſidietur: ne time, quia in foraminibus petræ ſecura es.* Hæc Bernardus. *Serm. 61. in Cant.*

Age

Age itaque, anima mea, *totâ devotione*, cum Bernardo, *in Chriſti vulneribus, & jugi meditatione demorare, inde Martyrii omniſq; adverſitatis tolerantia, inde tibi magna fiducia apud Deum altiſſimum. Nam quid eſt, quod ſtet Martyr tripudians, ac triumphans toto licet laceratus corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, ſed & alacriter, ſacrum videns è carne ſua ebullire cruorem?* Tryphon miles fortis, & ſanctus in equuleo torquetur, & ferreis ungulis excarnificatur. Deinde ſublimes pedes clavis candentibus ad trabem confixus, fuſtibus cæditur, facibus aduritur; Conon ante Imperatoris currum, pedibus, clavis transfixis currere jubetur, & curſui immoritur. *Vbinam,* quærit Bernardus, *tum Martyrum erat anima? nempe in foraminibus petræ, in viſceribus Ieſu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum.* Ecce anima mea Martyrum in tormentis, ecce tuum in tentatione, ac ærumnis perfugium.

Serm. 61. in Cant.

Brev. Rom. 10. Nov.

Ad hoc refugium ſe invitabat beatus Vbertinus de Caſali è S. Franciſci familiâ, vir doctiſſimus ac religioſiſſimus,

Anonymus tract. Ital. de paſſ. Dom.

mus, qui dicere solitus erat: singulis Veneris diebus, non aliud se mente volvere, quàm clavos, spinas, & crucem Domini; neque alio se cibo animam pascere, quàm sanguine ac vulneribus Salvatoris. Beatæ omnino animæ, quæ sic esuriunt, & saturantur. Ad vesperam verò eiusdem diei, totus erat, ut mœrentem Deiparam, in doloribus suis, ex dilectissimi filii acerbissimâ passione, ac ignominiosissimæ crucis morte haustis, consolaretur. Ipsum audite: *Veni*, inquit, *anima mea, & ingredere benedictam domum tuam. Quid foris manes? profuge ad locum tabernaculi admirabilis, ad terram promissionis, ad sacratissima scilicet Domini Iesu vulnera, non jam lacte, & melle, sed divina benignitate, & suavitate manantia. Ingredere ergo, & caveto egredi cor divinum, & amabile Salvatoris tui, in quo es quidquid es, & extra quod non bene es. Dina egressa est, ut videret filias regionis alienæ, & se vanitate illarum pasceret, & periit. Semei Hierosolymâ egressus est, ut servos suos, mundi scilicet honorem, & gloriam quæreret, & trucidatus est. Prodigus* *In arb. vitæ crucifixæ Iesu, l. 1. c. 9.*

ille

ille egressus paternâ domo, abiit in regionem longinquam, & tantùm non fame est absumptus. Occlude itaque anima cordis Iesu ostium, in hoc cubiculo te contine, in hac urbe refugii, in qua secura nullum hostem timeas; extra quam cum Dina, Semei, ac Prodigo necesse est ut pereas, uti peribat nocens quisquis in lege veteri extra refugii urbem deprehendebatur.

In hac refugii urbe perstitit ille, qui graviter oppugnanti se dæmoni aiebat; vulnera Domini Iesu sibi locum refugii esse, atque in iis se tutum securumque vivere.

In caus. quæsit. 12. q. 2. Verùm quando opportunius ad hoc asylum confugiemus? Refert Archidiaconus olim Sacerdotem, sacram Eucharistiam, per plateas deferentem pro asylo fuisse. Ad hoc idem asylum confuge anima mea cum è Sacerdotis manibus Sacratissimo Domini corpore reficeris. Patent enim tum tibi ejus manus, pedes, ac latus, ut in illa tanquam in securissimùm asylum te recipias.

Neque tantùm dum vitâ fungimur, sed

sed etiam cum ea defungimur, ad has refugii urbes nobis confugiendum est cum Sancto Præsule Eligio, qui animam agens: *Aperi mihi*, inquit, *Domine, aperi mihi latus tuum, & cor divinum lanceâ apertum, ut Principes tenebrarum, non occurrant mihi, nec me conturbent potestates aëris hujus, sed hoc sanctum vulnus tuum protegat me, & potentia tua defendat me.* Ita & tu anima mea, cum Præsule hoc sancto, & cum sancta Matre Ecclesia opta & ora. *In vita ejus.*

O bone Iesu exaudi me.
Intra vulnera tua absconde me,
Ne permittas me separari à te,
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meæ voca me.

CONSIDERATIO V.

Vulnera Christi

Remissio debitorum nostrorum.

CArolo V. magno Cæsari Antverpiam suam visenti Mercator prædives, in amplissimo conclavi luculen-

tum ex cinnamomo, aliisq; aromatibus ignem struxisse fertur, displicuit Cæsari prodigalitas; perplacuit tamen illi alterius Mercatoris munificentia, quâ flammis Chirographum injecit multorum millium aureorum, quos Cæsar illi debebat.

Tali & nobis igne opus est, ut in eo *Chirographum decreti* exuramus, quod juxta Apostolum, *nobis contrarium*, & uti sanctus Thomas ait, *est in Dei, conscientiæ nostræ ac diaboli manibus. Omnes enim, qui se peccato obstringunt, obligationem scribunt*, juxta Origenem, *reos se esse pœnarum ignis æterni; in æternum Deo persolvendarum.*

Colos. 2. v. 14.

Ibid.

Hom. 1. in Genes.

Anima mea, quæ ratio, quisve modus ut à Chirographo hoc libereris, & reddaris indemnis? ne, ut ait S. Thomas, à nobis illud exigat Deus, ne deinceps illo Conscientia tua gravetur; ne in severo illo judicii die, quando debita omnia rigidissimè persolvenda sunt, eodem te dæmon oneret, & accuset? *Venit Christus*, inquit Chrysostomus, *& invenit nostrum paternum chirographum,* quod

Hom. 1. ad Neophy.

quod conscripsit Adam, ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis. Quis fœnus hoc dissolvat?

O ignis qui semper ardes, & nunquam extingueris, omni aromate, ac cinnamomo suave olentior; tu flagellis, ac spinis, tu crucis ligno, tu clavis ac lanceâ, tu in misericordiâ, ac miserationibus extructus es, in sanguineis illis quinque conclavibus sacratissimorum vulnerum Salvatoris, ut debiti nostri in te exuratur Chirographum, cui nos solvendo pares non eramus.

Alexandro Macedonum Regi magno nuntiatum cùm esset, militum suorum plurimos ære alieno gravi obstrictos esse, voluit ut singuli sincerâ fide illud denuntiarent, spondens se omnia persoluturum. Hoc facere cùm illi palam non auderent, nova, eáque multiplicia ostia in palatio fieri curavit, ut sua nomina deferentium verecundiæ consuleret. Eia anima mea, habes & cubicula tua, viscera scilicet misericordiæ Salvatoris nostri. Habes & ostia, sacra scilicet eius vulnera; in illis non

Plut. in Alex.

corruptibilibus auro, vel argento, sed sanguine agni immaculati debita tua persolventur.

Egregium & illud, imò regium quod de Ludovico XII. Galliarum Rege refertur: ubi hic descripta eorum nomina legisset, à quibus graves injurias passus fuerat, cruce illa induxit, cruci Dominicæ veluti trophæum chirographum hoc affigens, ipsius Domini ac Salvatoris sui exemplum secutus, qui chirographum decreti seu peccatorum nostrorum cruci suæ affigens, illud cruce sua induxit, ac pretioso suo sanguine delevit, debita à nobis olim præstanda nunquam repetiturus. Vnde rectè S. Ambrosius, *Delevit sanguine suo atramentum Evæ; delevit hereditatis obnoxiæ obligationem.* Et iterum: *Eramus oppignorati malo creditori, contraxeramus chirographum culpæ, pœnam sanguinis debebamus. Venit Dominus Iesus, suum pro nobis effudit, & debitum nostrum delevit.* Hæc Ambrosius.

B. Alquirinus Doctor medicus, in Clara valle Ordinis Cisterciensis, Deo se dedi-

...aussin ...ourt S. ...marquez ...r la cole-...

...ib. 1. ...pol. Da-...d c. 13.

...b. 4. de ...rg. p. 4.

...rnabas ...nachus ...t. Cister. ...c. 56.

dedicans in ſublevandis ægris inopiâ preſſis,virtutem ſuam,atque artem medicam maximè commendabat: neminem omninò abhorrebat qualicunque demum morbo afficeretur, expurgabat ulcera, oſculabatur, exſugebat; perinde ac ſi ſacris Domini vulneribus, fontibus illis mellifluis os admoviſſet; quos pharmacis non poterat, curabat fuſis ad Deum precibus. Cùm viri Principes, in morbis ſuis opem ejus implorarent, eam illis nunquam impendit, reddebatque facti rationem, ſe non Magnatibus, ſed pauperibus, qui Dominum Ieſum referrent, curandis, à Deo vocatum eſſe. Fuit autem hæc erga ægros inopes Alquirini caritas, & commiſeratio Deo tam accepta, ut, cùm morte jam vicinâ, de peccatis ſuis admodum eſſet anxius, Salvator ſe illi videndum exhibuerit, patentibus vulneribus, eum invitans, atque amplexans, ut oſculum his ferret, fiduciam famulo ſuo addens, certumque reddens in illis, ſacratiſſimi ſanguinis ſui pretio, chirographum debiti, quod con-

contraxisset, jam pridem deletum esse, ac persolutum. Atque ita liber & lætus cum Domino suo, ad cœlos abiit Alquirinus.

Et tu anima mea, tam gravi chirographo liberata, tam grandi pretio redempta, cum Ambrosio perpende; *Bonum servum conari præstare Domino pretium, quod pro se solutum est. Noli aurum præstare, noli argentum. Non divitiis istis te Christus redemit. Sanguinem solvit, sanguinem debes. sed non potes, inquies, sanguinem reddere. Ergo dignam te præbe tali pretio, ne veniat, & dicat tibi : Quæ utilitas in sanguine meo?* Ita Ambrosius.

Lib. 1. de Virg p. 4.

Numquam non animo inhæreat quanti benignissimo Redemptori steterit nos è gravissima servitute, in libertatem filiorum Dei asseruisse, quod Leo magnus solerter expendit : *Evacuatum est illud generale venditionis nostræ, & lethale chirographum ; & pactum captivitatis in jus transiit redemptionis.*

S. Leo Serm. 10. de pass.

Ad



AD vulnus pedis dexteri, cum vero emendationis proposito, Deum orabimus, ut nos à peccatorum periculis liberet; contra tentationes, vires, & opem tribuat, atque in virtutum & bonorum operum studio, desideria nostra augeat.

CONSIDERATIO I.

Vulnera Christi Arma animarum.

DAvid filius Isai ovium pastor, in arenam contra Goliathum, sin- *1. Reg. 17 v. 40.*

 gulari

gulari certamine ingressurus, non aliis armis, quàm fundâ, baculo, & quinque limpidissimis lapidibus usus est, quos de torrente legerat, & miserat in peram suam pastoralem.

In antiq. Iuda. Philo Iudæus, ait lapidibus hisce insculpsisse Davidem nomina celeberrimorum Patriarcharum, Abrahami, Isaaci, Iacobi, & Moysis, quinto verò nomen Iosue Iudicis, ac ducis populi Israël, qui re, ac nomine Dominum Iesum referebat.

Prodit itaque ad certamen Goliathus, obviam illi procedit David, qui quinto lapide, Iosue, hoc est, Iesu nomine insignito, oneratam atque armatam fundam circumagens, lapidem illum in Gigantis frontem impegit, eumque prostravit, & turri illi carneæ ense suo à cervice caput avulsit.

Habet & homo hostem suum, quem
c.40.v.10. Behemot seu Leviathan Iob appellat, cujus ferocia tanta est, *ut comedat sicut paleas ferrum. Nónne militia* cum eodem
Lib. 10. Conf. c. 28. Iobo, rogat Augustinus, *est vita hominis super terram? Cui enim non est necesse tentatio-*

tationes, & molestias pati? Tolerari eas jubes Domine, non amari, nemo quod tolerat, amat, etsi tolerare amat: quamvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non esse, quod toleret. Heu mihi, Domine, miserere mei. Ita Augustinus.

Contra hunc hostem animos nobis addit Apostolus, cùm ait, *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus, induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* *Ephes. c. 6. v. 11.* Verùm quæ hæc armatura Dei? non alia sanè, quàm Davidis baculus, Crux scilicet Christi; ejusdem funda, intellectus noster; lapides quinque limpidissimi, cruenta quinque Salvatoris vulnera, nomine Domini Iesu insignita; quæ consideratione piâ, atque attentâ quasi fundâ circumactâ, vi, atque impetu motæ voluntatis hostem nostrum prosternent; ad quem insultando Augustinus; *Percussisti, vulnerasti, dejecisti. sed vulneratus est pro me, qui fecit me, & de morte sua vicit te.* *Serm. 43. de verb. Dom.* Deinde Christianorum Athletarum ad certamen erigens animos; *Quid vultis*, inquit, *ô Sancti, ô boni præliatores, ô fortes mi-*

lites Christi! quid vultis? ut non sint omnino concupiscentiæ malæ? sed non potestis. Exercete bellum, sperate triumphum. Armate vos, sumite instrumenta bellorum. Præcepta Dei (præcepta amoris, vulnera, inquam, Salvatoris) *arma vestra sint.* Hæc Augustinus. His veluti totidem clypeis anima mea hostem tuum aggredere, illa veluti totidem æneas balistas Domini Iesu meritis oneratas, divini amoris igne accende, atque in eum exonera, & de victoria secura es.

Io Pier. Valer. in Apend. Hierogl. l. 11.

Antiochus, qui ΣΩΤΗΡ, seu Salvator cognomento dictus est, cùm adversus Galatas pugnaret, nec satis ex sententia res succederet, essetque in discrimine; ut militum animos in spem erigeret, aiebat per quietem vidisse se, vel se vidisse simulabat, Alexandrum Magnum, se monentem ut salutis, ac victoriæ symbolum assumeret, idque pro tessera Tribunis daret. Symbolum autem illi hujusmodi ostendisse, triangulum triplicem invicem insertum, ex lineis & angulis quinque constantem, in quibus ΥΓΕΙΑ, id est, salus scriptum

ptum erat. Istud vana, ac profana Gentilium superstitio fingebat. Quæ enim in pentagoni tessera salus, seu victoria inesse potuit? aut cur Salvatoris nomen sibi arrogavit Antiochus? Vnicus & æternus nobis Salvator est Christus Iesus, qui in bello, quod cum tartareo hoste pro anima gerimus, salutis tessera ac symbolo sacris scilicet suis quinque vulneribus, divino veluti pentagono, signatis, certam victoriæ, ac salutis spem pollicetur.

Quantò ergo sanctiùs, quia veriùs & religiosiùs Alphonsus primus Lusitaniæ Rex, cum exercitu suo non copioso, à quinque Maurorum, seu Saracenorum Regibus obsidebatur. Anxio, Deumque tota nocte deprecanti apparet Salvator madentibus recenti sanguine vulneribus, illum cohortans, ut copiis suis, licet exiguis, hostem aggrediatur, auxilium illi de cœlo adfuturum; Rex cœlesti monito erectus, nova, & non visa hactenus arma, clypeum scilicet & labarum scutulis quinque distinctum, quibus quinque Domini

Vascon. de Reg. Lusit.

mini

mini vulnera insculpta erant, parat; militem de conspecto à se, illa nocte, crucifixo Domino monitum, in hostem ducit, eumque fundit, quinque Domini vulneribus fortior ac felicior, quàm Mauri illi Reges exercitibus suis quinque instructissimis.

Cosm. Maga: præf. in Iosue. Vir Princeps ad singulare certamen ab altero provocatus dolo usus, crystallinum scutum detexit, idque soli obvertens hosti objecit, qui radiorum repercussu occæcatus, manus dare, & ex arenâ cedere cogebatur. Quot Iesu vulnera, tot nobis sunt clypei, qui radiis divinitatis, ac meritorum ejus oculos hostis nostri hebetent, eumque nobis subiiciant. Crucifixus Salvator instar illius est turris, quæ ad Sionis arcem à Davide ædificata est, *ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium.* *Cant. 4. v. 4.* Nam in cruce Dominus, veluti in turri munitissima, contra hostes animæ nostræ appendit, non mille, sed quinque tantùm clypeos, vulnera scilicet sua sacrosancta, clypeis omnibus validiora, ac potentiora, in quibus omnis armatu-

ra

ra fortium, Martyrum, Sanctorum, ac servorum Dei consistit. Non enim clypei solùm, sed & tela, & gladii, & hastæ, & lanceæ, omneq; armorum genus nobis sunt Domini vulnera, ad vitiorum omnium auctores hostes profligandos.

Quo armorum genere ut utamur, hortatur nos S. Petrus, cùm ait, *Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*: in Christo enim passo, ac vulnerato, & cum illo certandum, vincendum, ac triumphandum nobis est. est enim Christi passio, & crux, inquit Cornelius à Lapide in hunc locum, plena armatura, sive Panoplia, quâ debellavit peccatum, mortem, infernum, ac diabolum. unde Doctor Angelicus ait, Christum in cruce fuisse instar equitis armati: coronam enim spineam illi fuisse pro galea, cruorem toto corpore perfusum pro lorica, clavos pro gladio, crucem pro equo; neque lanceam defuisse, ac scutum sacra quinque vulnera, atque hâc armaturâ mundum, carnem, ac dæmonem profligasse. *Christo igitur passo in carne*, anima mea, arma te adversus hostes

Ep. 1. c. 4. v. 1.

D. Thom. in epist. Pet. 1. c. 4. v. 1.

hostes tuos omnes, ejusdem passionis cogitatione, memoriâ, consideratione, invocatione. Iisdem enim armis necesse est uti & pugnare te, quibus usus est, & pugnavit pro te Christus; qui & tibi paratus est se armigerum præbere.

Barth. Fizen. in ejus vita 9. Oct.

Elisabetha Wansia, virgo domo inter Leodienses nobilis, Christi patientis supplicia tanto affectu meditabatur, ut illa numquam de memoria dimitteret; sed neque ipsa à Domino relinquebatur. Totos tres annos quocunque se illa conferret, ille crucifixus euntem ita comitabatur, ut nunquam abiret à conspectu; & si quæ fortè impuræ, ac illicitæ cogitationes animum pulsarent, arma illicò expediebat, & revulsam à cruce dexteram pectori Elisabethæ admovebat, hostemque abigebat. Ita Christus suis semper est futurus arma, & armiger, ut si velint, semper vincant, & de adversario suo triumphent.

Io. Bollandus & Godefridus Henschenius in M.S.

Ita pugnavit, vicit, ac triumphavit B. Christina mirabilis, non illa Leodiensis Hasbana, sed Coloniensis Agrippina, quamvis isti par virtute, opere, dæ-

monum

monum tentatione, & gratiis à divina manu liberaliter acceptis, æquè mirabilis. Huic à Dæmone vix unquam ulla erat requies, modò illi corpus malleis, veluti in incude tundebatur; modò manus ac pedes clavis terræ affigebantur, modò aliis cruciatibus afficiebatur; ſemper tamen conſtans Chriſtina non alia arma, non alios defenſores, præter Domini vulnera implorabat, quæ, oculis animoque ſemper iis intenta, iiſdem dimicabat, iiſdem vincebat, ac triumphabat.

Apprehende hæc arma, & ſcutum (anima mea) *& exurget Dominus Ieſus in adjutorium tibi.*

CONSIDERATIO II.

Vulnera Chriſti.

Lux animarum.

PRænunciavit hoc lumen Iſaias, cùm ait: *Propter Sion non tacebo; & propter Hieruſalem non quieſcam*; ſcilicet ejus *Cap. 62. v. 1.*

ejus ſalutem annuntiare, *donec egrediatur, ut ſplendor, juſtus ejus, & Salvator ejus, ut lampas, accendatur.*

Math.5. v.15. Docet Salvator *neminem accendere lucernam, & ponere eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.* In obſcuriſſimâ plurimorum errorum nocte, à ſalutis tramite aberrabat mundus ante Salvatoris adventum, verùm cùm ad nos advenit, *populus*, ait

C.9.v.2. Iſaias, *qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam*, quinque quippe lucernas ſanctiſſimorum ſuorum vulnerum accendit, & candelabro crucis ſuæ impoſuit, *ut illuminarent omnem hominem venientem in hunc mundum*, & ad virtutis, ac ſalutis æternæ viam tenendam nobis prælucerent.

Lubet hîc cum D. Auguſtino quærere, quomodo fontes vulnera Salvatoris, quomodo dicantur lucernæ? Ait

Plin. 2. c.103. Plinius fontem eſſe qui faces accen-

Ioſ.15.v.7. dat. De fonte Solis meminit Scriptura, an fortè, quod & fontibus ſua lux in-

Eſter.10. v.6. ſit? Apud Eſtherem, *fons parvus crevit in fluvium maximum, & in lucem, ſolemque*

con-

conversus est: sed D. Augustinum audiamus in hæc Regij Prophetæ verba: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. In usibus*, inquit ille, *corporeis, aliud est lumen, aliud est fons. Non sic est apud Deum: quod lumen est, hoc est fons: qui tibi lucet, ut videas, ipse tibi manat, ut bibas, ut te reficiat, ut te abluat.* Ita & vulnera Salvatoris quæ sicuti fontes nobis fuerunt ad eluendas peccati sordes, ita & lumen erunt, quo virtutis atque æternæ salutis via nobis ostendatur.

Tract. 34 in Io.

Psal. 35. v. 10.

Lux hæc sanctæ Franciscæ Romanæ, dum Deum deprecaretur, oborta est. Videbat sacra Domini vulnera radios suos ejaculari Solis instar, in augustissimam, ac sanctissimam Trinitatem, in Virginem Deiparam, Angelos, ac sanctos omnes; fulgore novo cœlum omne coruscabat. Observans deinde quâ ratione lux hæc ad homines se diffunderet, videbat alios uno tantùm vulnere, quosdam duobus, nonnullos tribus, paucos quatuor, pauciores quinque, pro meritis suis omnes il-

In ejus vita.

luſtrari, ut ſingulis conſtet, unde vitæ æternæ lumen illis oboriatur.

Euſeb. Nierinb. in vita.

Divinam hanc lucem etiam Franciſco Zuario Societatis noſtræ religioſiſſimo ac doctiſſimo viro illuxiſſe ferunt. Cùm enim ante Chriſti è Cruce pendentis effigiem à terra ſublimis oraret, à Collegij Ianitore cubiculum ingrediente viſus fuit Salvator ex imagine & vulneribus ſuis radios in Franciſci vultum ac pectus emittere, virtutis ejus ac religionis teſtes.

Brev. Rom. 21. Mar.

Hac etiam luce illuſtratus fuit ſanctus Benedictus, magnus ille religioſi Ordinis in Occidente Patriarcha, cujus animam duo Monachi viderunt in cœlum euntem, pallio pretioſiſſimo ornatam, & circum eam fulgentes undique lampades, ſimul clariſſimâ, ac graviſſimâ ſpecie virum, dicentem: Hæc eſt via, quà dilectus Domini Benedictus cœlum aſcendit; lampades ſcilicet, virtutes ejus erant, quæ à ſacris Domini vulneribus lucem ſuam omnem acceperant.

Orabis anima mea, & obteſtaberis Sal-

Salvatorem tuum, ut in divino fulgentissimorum vulnerum ejus lumine tibi resplendeat lumen humilitatis, obedientiæ, patientiæ, ac reliquarum ejus virtutum, ut dum iis illustraris, ita *luceat lux tua coram hominibus, ut videant opera tua bona, & glorificent Patrem tuum, qui in cœlis est.* Matth. 5. v. 16.

CONSIDERATIO III.

Vulnera Christi

Thesaurus animarum.

CRux index fuit Tiberio Constantinopolitano Imperatori thesauri à Narcete olim defossi, qui ne proderetur, familiares suos illius conscios omnes trucidavit. Satis quippe illi fuit si esset, etiamsi prodesset nulli. *Paul. Diac. l. 3. c. 6 de gest. Longobard.*

Afferit Salvator, *simile esse regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, præ gaudio illius, vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.* Thesaurus hic Christus est, neque alium optamus, aut quærimus; *investigabiles* *Matth. c. 13. v. 44.*

Ephes.3. v.6. *gabiles enim ejus divitiæ ſunt*, ut ait Paulus; ſtabiles ſcilicet atque æternæ: mundi verò labiles, ac fluxæ. ſed quomodo theſaurus hîc inquirendus? uti alii omnes, fodiendo. Salvator autem ſpinis confoſſus, flagellis peraratus, clavis, & lanceâ perfoſſus eſt. Ingredere itaque anima mea cum Propheta, *&* Iſ.c.2. v.10. *abſcondere in foſſa humo*, crux tibi index eſt theſauri in ea latentis, in vulneribus ſcilicet ac viſceribus Salvatoris. *Ecce*, p.1.ſtim. c.1. clamat S.Bonaventura, *apertus eſt theſaurus divinæ ſapientiæ, & æternæ ſuavitatis; intra vulnerum aperturam, & eum invenies*, de quibus eleganter ille:

Iugl.elog. 86.

Has qui ſcrutari fodinas dilexerit,
Paupertatem non timeat:
Manant hinc divite vena theſauri,
Vnde mundus quandoque aureus fiat.

illo ſcilicet divinæ charitatis auro; Apoc.3. v.18. quod ignitum à ſe, apud Ioannem, emi voluit Dominus.

Sunt hæc ſacra Domini vulnera quinque illa talenta, quæ ipſe,non peregrè proficiſcens, ſed à peregrinatione ſua in patriam revertens dedit nobis, ut

in

in iis prosperemur & lucremur alia quinque, omnem scilicet gratiarum abundantiam; eoque lucro provocatus Dominus ponat nos super quinque civitates, sensibusque nostris quinque dominemur. Eia ergo anima mea, noli divina hæc talenta sudario oblivioso involuta negligere; sed pone illa ad mensam, mensam, inquam, sacratissimi Corporis Salvatoris, & cœlestem tibi usuram reddent, ac veluti bono fidelique servo gaudium Domini tui fœnerabuntur.

Scribit Isidorus in Lybia lapidem reperiri, qui in exiguo orbiculo sexaginta gemmarum colorem referat; adamantis radios, Smaragdi virorem, candorem margaritarum, flammas Pyropi, Sapphyri notas aureas, & sic deinceps. Ita & in sacris ac sanguineis Domini Iesu vulneribus, in divinis illis veluti pyropis, obseruare est Angelicorum ordinum omnium gratiam, Patriarcharum fidem, Prophetarum lumen, Apostolorum zelum, Martyrum fortitudinem, Virginum puritatem, Sanctorum *Lib.6. c.4*

omnium virtutem : denique, ut cum Chryſoſtomo loquar, totius divinitatis, atque humanitatis Chriſti divitias.

[V]aſcon. de [R]eg. Luſit. Ioannes II. Portugaliæ Rex, ſui ſemper ſimilis, in concepta erga Domini vulnera religione, morti proximus per illa à viro nobili ſubſidium pro inope familiâ rogatus, omnem ei ſupellectilem ſuam argenteam largitus eſt, donoque huic annuum cenſum liberalem addidit. Anima mea, ſi ſacra Domini vulnera apud Reges & Principes, terrenas opes inveniunt, quid ni & à Deo cœleſtes obtineant.

[F]red. Forn. [i]n præfat. [r]oſæ pent. Roſæ pentaphyllæ, de qua ſuprà, aquas, oleum, unguentum, pulveres, aliaſque ex illa confectas medicinas Regibus ſuis offerre ſolent Indi, cùm ab illis beneficium aliquod poſtulant. Nos roſæ pentaphyllæ noſtræ, ſacratiſſimorum ſcilicet Domini vulnerum aquas, ſanguinem, merita cœleſti Patri offeramus, & à divina illa bonitate tanto dono provocatâ, neceſſitati noſtræ gratiarum omnium theſauros impetrabimus.

Rectè quærit Ecclesiasticus; *Sapientia abscondita,& thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Magno sanè bono nos privamus, quia thesauros illos in propatulo positos, & nobis obvios, quasi abditos prætcrimus,& negligimus; neque in fossam illam corporis Domini humum,cum Bernardo,ingredimur, in eaque, piâ meditatione abscondimur, ut illos quæramus; quemadmodum quæsivit, & invenit ille Societatis nostræ Sacerdos,qui animam agens, cùm magna lætitiæ signa vultu, animoque ostenderet,rogatus causam: si, inquit, alicujus oculis obversaretur ingens auri, argentique vis, gemmarumque pretiosissimarum omnis generis copia, isque certus esset, hæc omnia sua esse, ut tanto thesauro Toparchiam aliquam nobilem compararet,nónne meritò ingenti afflueret gaudio? Ita & ego video oculis meis obversari lacrymas,labores,flagella,spinas,clavos,crucem,supplicia,vulnera,sanguinem Domini Iesu,certusque sum inæstimabiles hasce divitias, atque thesaurum hunc im-

c.20.v.32.

Apud Io. Euseb. Nierenb.

immensum meum esse, ut eo cœlum mihi emam; cur igitur non gaudii omnis signa præferam? Atque hoc solatio, & fiduciâ plenus Dei servus vitam conclusit. Invenerat has opes, & thesauros Bernardus, cùm ait: *Ego fidenter, quidquid mihi deest, usurpo ex visceribus Salvatoris, quæ misericordiâ affluunt, neque desunt foramina, per quæ effluat.* In vulneribus itaque Domini Iesu Thesaurus tuus est, anima mea, in iisdem sit & cor tuum. Nam cœlestis ille paterfamilias de thesauris istis profert nova, & vetera, veteris scilicet, ac novæ legis perfectionem ac sanctitatem.

Serm. 61. in Cant.

CONSIDERATIO IV.

Vulnera Christi

Fundamentum Fidei, Spei, & Charitatis.

Io. c. 8. v. 28.

CVm *exaltaveritis filium hominis*, ait Salvator, in cruce scilicet, & in ea illum clavis confixeritis, & lanceâ latus ejus aperueritis, *tunc cognoscetis, quia ego*

ego sum. Vnde S. Bonaventura docet vulnera Salvatoris fundamentum esse fidei, ſpei, & charitatis. Quò profundius fundamentum hoc in illis attentâ meditatione jacimus, eò altius virtutum harum ædificium exurget. *p.1.ſtim. c.6.*

S.P.N. Ignatius Hieroſolymitanum iter aggreſſurus, nullos viæ comites, licet ſe offerrent quamplurimi, nullum pecuniæ ſubſidium admiſit. pro comitibus, ajebat, & omni ſubſidio, habiturum ſe fidem, ſpem, & charitatem in Deum, cum his ſecurum ſe, ac tutum eſſe, ab his ſibi, de neceſſariis, proſpiciendum. Hiſce ſociis, ſe loca ſacra, ſanguine Domini conſperſa veneraturum, auctioremque, ac beatiorem inde rediturum, quando ſcilicet attentâ patientis, ac vulnerati Salvatoris conſideratione, incrementum illæ virtutes accepiſſent. *Nicol. Orland. hiſt. Soc. Tom. 1. l.4.n.31.*

Quod ut conſequeretur ubi primùm ſacra illa attigit loca, uti refert Orlandinus, præcipuis nobilitata ſalutis noſtræ myſteriis, ſolo illo, illis ſpecubus, montibus illis, tectorumque reliquiis anti- *Hiſt. Soc. t.1. l.1. n.37.*

qua repræſentantibus tempora, ipſaſque res ante oculos ponentibus totus in lacrymas abire, pietatis ſenſu colliqueſcere, nec os, niſi ad reliqua raperetur, poſſe à primis avellere; ut quando non poſſet Dominum intueri ubi eſt, intueretur ubi fuit. Ita verò urgebat virum ſanctum in Redemptorem ſuum caritas, ut optaret, arderetque illo in loco vitam ponere & ſanguinem fundere, ubi Salvator vitam poſuiſſet ſuam, & ſuum fudiſſet ſanguinem. Reditum autem in Europam cogitans, cupidus relicta à Chriſto in cœlum ſubeunte veſtigia reguſtandi, raptim in Olivetum montem evolavit, ubi cùm pietati atque affectui ſuo ſuaviſſimè ſatisfeciſſet, ad ſancti Franciſci cœnobium revertens, Salvatorem habuit viæ comitem, fidei, ſpei, ac charitatis ſuæ magiſtrum, ut quibus comitibus venerat Ieroſolymam, iiſdem auctior, & confirmatior Venetias, unde ſolverat, regrederetur, quod non multò pòſt patuit. Stabant Cypri in portu quo felici curſu fuerat appulſus Ignatius, navigia

vigia tria mox in Italiam soluturа. Turcicum unum, alterum Venetum firmum ac magnum prædivitis mercatoris; tertium pusillum vetustate, carieque fatiscens, cumque quidam peregrinorum instaret apud navis robustissimæ Navarchum, ut Ignatium susciperet, sanctum esse hominem, is cognito quòd pauper esset, sanctis navigio opus non esse respondit : sed brevi didicit cavillator impius re ipsa, non ita sanctos viros navigiis, quàm navigia sanctis opus habere. Nam cùm tres illæ onerariæ pariter vela secundo vento fecissent, sub vesperam gravissimâ tempestate coortâ, Turcica continuò periit. Veneta prope Cyprum allisa in scopulos naufragium fecit, hominibus dumtaxat salvis: parvula, & malè cohærens, in quam gratis, facileque Ignatio ascensus patuerat, quamvis multùm jactata, cursum tamen incolumis tenuit.

Præfecerat quippe vir sanctus illi pro Navarcho & epibatis peritissimis, spem ac fiduciam in Deum, eò securior

quò divina illa virtute à passi & vulnerati Salvatoris conspectu ac meditatione auctior & confirmatior Ierosolymis factus, non dubitabat quin æternus Pater, qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, ipsi non solùm felicis cursum navigationis, sed & alia omnia cum ipso daturus esset.

Quod & viso altero confirmavit Deus, voluitque servi sui Ignatij in se fiduciam ac spem non minore beneficio magis corroborare. Romam vir sanctus, postquam Parisiis novem sibi adlegisset socios cum Fabro & lahio, reliquis per Italiam ad Evangelium distributis, properans, toto in itinere, præsertim dum quotidiè cœlesti pane reficitur, frequentia supra naturam divinitus lumina recepit. Illud maximè, quod diu in optatis habuerat, animo versabat, quemadmodum posset quasi in familia Christi Iesu famulus cooptari; assiduè sanctissimam rogans matrem ut apud filium sibi conditionem inveniret; id ipsum ab æterno ejus

Patre

Patre flagitans, ut eum sibi conciliaret. Itaque sanctis hisce cogitationibus plenus, quo die propiùs accedebat ad urbem, cùm templum salutandi Numinis gratiâ solus esset ingressus, mente excessit à sensibus, & in ipso contemplationis æstu Majestatem Dei patris, qui filio Iesu crucem bajulanti se suosque amicissimè commendabat, clarissima luce perspexit, quos cùm in suum Iesus patrocinium, fidemque reciperet, ad Ignatium placido ore conversus, *Ego vobis*, inquit, *Romæ propitius ero*, Ignatij in se spem ac fiduciam excitans eo quo passus ac vulneribus confossus fuerat schemate, ut & ipse & socij quos sibi adlegerat, & deinceps in Iesu Societatem adlegendi erant non aliis comitibus, non alio viæ subsidio quàm fide, spe, ac in Deum caritate à passo suo ac vulnerato Salvatore confirmati & corroborati, diversa loca peragrarent, vitamque in quavis mundi plaga agerent, animarum, ac divinæ Majestatis obsequio consecrati.

Ha-

Ad Heb. 12. v. 2. *Habentes itaque* (ut cum Apostolo meos in Christo Iesu Socios compellem) *impositam nobis* sanctissimum Patriarcham nostram imitandi dulcem necessitatem, *deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta;* ut qui crucem bajulans propitium se nobis futurum Ignatio spopondit, per eandem à nobis, difficultate omni perruptâ ac contemptâ, animas obtineat pretioso suo sanguine redemptas.

At videamus modò quâ ratione fides, spes, atque in Deum caritas à passo, & vulnerato Salvatore in animis nostris roborentur.

Primum itaque fidei nostræ fundamentum esse passionem, & vulnera Domini, eaque testari ipsum verum Deum, Deique filium esse, probatissimum est; modus tamen adstruendi veritatem hanc, ab ea planè alienus videtur. Nam capi, ligari, ut virum scelera-

ratissimum ad tribunalia varia abripi, conspui, pugnis contundi, cædi colaphis, flagellari, coronari spinis, vario ludibrio exponi, cruci, inter latrones, suffigi velut novissimum virorum, lanceâ deinde latus aperiri, quis dicat, judicetque clarissima in Christo Divinitatis esse argumenta? cùm præsertim nemo, quamvis mortalium nequissimus, majori contemptu, graviorique supplicio affici potuerit. Nihilominus omnia hæc opprobria, tormenta, vulnera, Dominum Iesum, ut verum hominem, ita verum Deum probant, teste Centurione, qui Salvatoris patientiam, ac mansuetudinem, in gravissimis cruciatibus admiratus, cœlumque videns, ac terram, in ejus morte commoveri, exclamavit: *Verè filius Dei erat iste!*

Hoc ipsum probat Isaias, cùm ait: *de angustia* (legunt in humilitate LXX.) *& de judicio sublatus est, generationem ejus quis enarrabit?* Quis, inquam, eum à tot Iudicibus adeò severè examinatum, ut blasphemum à Caypha, ut amentem ab C. 53. v. 8.

Hero-

Herode, à Pilato, Barabbâ viro seditioso, latrone, homicidâ nequiorem judicatum expendens, ac in modesta illa, & patiente innocentia, sublatum in crucem, divinam ejus non fatebitur generationem, quam & Pilatus ipse in illo agnovit, & reveritus est?

Ac, ne cui dubium relinquatur, Christus ipse hoc de se testimonium dedit, cùm egresso Iuda ad eum vendendum, & prodendum; *Nunc clarificatus est*, inquit, *filius hominis, & Deus clarificatus est in eo, si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuò clarificabit eum.* Perinde ac si diceret: Iudas jam egreditur ad prodendum me, & tradendum; imminet ergo mihi crux infamis, ac dura mors, quæ adeò non cedit mihi ad ignominiam, ut per eam summè sim glorificandus. In illis enim non tantùm agnoscar esse filius hominis, & homo, sed & filius Dei, & Deus: cœlum enim, & terra testabuntur Deum in cruce mori.

Io. 13. v. 31.

Vnde rectè Drogo S.R.E. Cardinalis occasione verborum apud S. Lucam.

In sacram Dom. pass.

Et

Et cognoverunt eum in fractione panis ; in c.24.v.35.
mystico sensu ait : *verè non cognosceris, Domine, nisi in fractione panis. Panis caro tua est. fregisti manibus tuis corpus tuum, fregisti vulneribus scilicet corpus, quod foris apparet, & ostendisti medullam scilicet divinitatis tuæ, quæ intus latebat, uti confractis* Iosf.c.7.
Gedeonis lagenis, lux quæ in illis erat se prodidit. v.17.

Nabuchodonosor, Alexander Magnus Imperatores, Reges varii ac Principes eò dementiæ abrepti sunt, ut Dii à suis haberi & coli voluerint, etiam tonitrua, fulminaque fingentes, ut Dii esse crederentur ; quos tamen verus, & unus Deus miserrimos esse homines variis argumentis ostendit, & ipsi demum confessi sunt. Aliter Dominus Iesus, qui in humilitate, & angustiâ, qui in flagellis, & spinis, in clavis ac vulneribus, in cruce & probrosissima morte, ita se Deum testatus est, ut *in nomine ejus omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, ac infernorum.* (Dan.3. v.14.; Phil.c.2. v.10.)

Observant Interpretes, & inter hos Cornelius à Lapide Societatis nostræ

Theologus in eum scripturæ locum: *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Hebraicè legi, columba mea, in recessu scalarum petræ, in abscondito graduum maceriæ. Habent multæ petræ, seu rupes foramina, quæ pro scalis serviunt: ita Alexandri Magni milites trecenti, editissimam & præcipitem vel maximè rupem per ejus foramina, quasi per scalas conscendentes, in supremo ejus vertice arcem munitissimam expugnarunt. Habet item maceria, murus scilicet cariosus, excussis vetustate hinc inde lapidibus, velut gradus suos, per quos etiam ascensus in urbes subinde patet, ut successus aliquando docuit.

Cant. 2. v. 14.

Ait itaque Christus, qui apud Apostolum petra est, & in flagellato ac vulnerato corpore vera maceria, ait, inquam, fidelem animam alloquens: *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, in sacris scilicet meis vulneribus commorare, per quæ, piâ meditatione, tanquam per scalarum recessus, & gradus absconditos, ascendes ad in-

intelligendam celsitudinem divinitatis meæ, cum Thoma Apostolo meo. *O bona foramina*, inquit Bernardus, *quæ fidem adstruunt resurrectionis, & Christi divinitatem! Dominus, inquit, meus, & Deus meus. Vnde hoc reportatum oraculum, nisi ex vulneribus Salvatoris, quæ ad divinitatem ejus gradum faciunt?* Serm.61. in Cant.

In hisce sacrorum Domini vulnerum gradibus à terra in cœlum porrectis, tantillum hæreamus. Ascendit per eos Salvator ad Patrem suum, & Patrem nostrum, ut per eosdem ad Apostolos, & ad nos descenderet Spiritus sanctus. Per hos, si ipsi voluerimus, non minùs, imò & certiùs, quàm per scalam Iacob Patriarchæ, descendent ad nos, & ascendent à nobis ad Deum Angeli, necessitates nostras, & vota ad ipsum deferentes, & dona ejus, ac gratias ad nos reportantes. Per has scalas *ascendat homo ad cor altum*, à terra scilicet, ac terrenis desideriis sublevatum, *& exaltabitur* in illo *Deus*, & ille in Deo. Genes.28. v.12. Ps.63. v.8.

Beatus planè ille, *cujus est auxilium abs te*, Domine Iesu; qui novam hanc coro- Ps.83.v.6.

nam uſurpando, per quinquies quinque orationes Dominicas, piâ ſacrorum vulnerum tuorum meditatione ordinatè diſpoſitas, intermediis quinque ſalutationibus Angelicis, quaſi per totidem ſcalas, *aſcenſiones*, & quidem purpureas, *in corde ſuo diſponit*, per quas, ad votorum ſuorum, atque omnium bonorum culmen pertingat. Longè utique felicius Salomone qui ferculum fecit ſibi, cujus inter cætera fecit aſcenſum purpureum, & cujus media charitate conſtravit. tui unius causâ fecit ſe ipſe Dominus Ieſus ferculum; ô filia Ieruſalem, ô anima Chriſtiana, & in eo aſcenſum vulnerum purpureum, illius maximè in medio ſacri lateris imò cordis, hoc eſt diviniſſimæ charitatis. Nullibi ergo feliciùs columba, nullibi beatiùs anima eſſe poterit, quàm in foraminibus petræ, quàm in caverna maceriæ, in vulneribus ſcilicet Salvatoris, per quæ veluti per ſcalarum receſſus, & gradus abſconditos, cum Thoma Apoſtolo ad Dominum, ac Deum ſuum aſcendat.

Sed

Sed ut ad institutum redeam ; *super lapidem unum septem oculi sunt*, ait Deus apud Zachariam, lapis hic Christus Dominus est; super eum septem oculi sunt, attentissima scilicet Dei consideratio, & sollicitudo, ut eum poliat, & excellentiam quæ in illo latet ostendat ; & *ecce ego*, inquit, *cælabo sculpturam ejus*; Hebræus legit: aperiam aperturam ejus; hoc est, inquit Hieronymus: istum lapidem clavis crucis, & lanceâ militis faciam vulnerari, & aperiri, ut, quæ in illo latet divinitatis Majestas, se per vulnera & aperturam, veluti per cælaturam ac sculpturam manifestet. *Clamat clavus, clamat vulnus*, ait Bernardus, *quòd Christus Deus sit, & homo*, docentque Deo viciniorem esse neminem, quàm qui cum Christo patitur, eique cum Apostolo configitur.

cap.3.9.

Serm. 61. in Cant.

Sunt etiam vulnera Domini spei nostræ robur ac firmamentum ; cùm enim constet per illa redemptos nos esse, speramus salutem æternam consecuturos. *Iesus*, inquit Paulus, *est spes* gloriæ nostræ, per sanguinem Crucis, ex

sacratissimis scilicet ejus vulneribus profusum. Tertiò vulnera Salvatoris charitatis nostræ fundamentum. Militum unus aliquis, de exiguo in Iulium Cæsarem amore accusabatur. Is ubi hoc intellexit, illico pectus nudans, vulneraque ostendens: Hi, inquit, Cæsar, testes mei sunt adversus mendaces hostium meorum linguas, quo in te affectu semper fuerim. Et quis in animi dejectione, dum Domini Iesu vulneratas manus, ac pedes, perfossumque pectus recogitat, de ejus in se amore, ac benignitate dubitabit?

Deflebat Salvator defunctum Lazarum fratrem Marthæ ac Magdalenæ. lacrymas has vident Iudæi, & exclamant: *Ecce quomodo amabat eum!* Ad mortem æternam eramus damnati omnes: vulneribus suis, quasi tot oculis, & sanguineis lacrymis deflevit Dominus miseriam nostram: Ecce anima mea, quomodo amabat te. Redde illi amorem tuum, neque illi tantùm, sed & proximo tuo, quem, si per charitatis januam, non admiseris in cor tuum, neque Salvator

[margin: Ioan. c. 11. v. 37.]

tor in ſacratiſſima ſua vulnera te admittet; quibus excludi, eſt cœlo excludi.

CONSIDERATIO V.

Vulnera Christi

Scholæ veræ Sapientiæ.

QVi ſtudiis applicare vult animum, perito & docto Magiſtro, & libris inſtituto ſuo accommodis indiget. Naturale eſt homini, ut ſcire deſideret. ut autem quæ oportet diſcamus & ſciamus, Magiſter nobis erit Dominus Ieſus, qui ſe ſolum, & unicum Magiſtrum dicit, & qui nobis à Patre conſtitutus eſt magiſter, ut illum audiamus. Appoſitè ad rem noſtram Auguſtinus: *Magiſtrum omnes unum habemus, & in una ſchola omnes diſcipuli ſumus. Cathedram in cruce habet, qui corda docet.* De hoc Magiſtro, & præceptore rectè Thomas à Kempis, *Cui æternum verbum loquitur, à multis opinionibus expeditur. O veritas Deus! Tædet me ſæpe multa legere, & audire;*

Math. 23 v. 8.

Luc. 9. v. 33.

Tract. 16 ſup. Io.

Lib. 1. de imit. Chr. c. 3. §. 2.

in te eſt totum, quod volo, & deſidero. Taceant omnes Doctores, ſileant univerſæ creaturæ in conſpectu tuo; tu mihi ſolus loquere. Hæc ille pro Magiſtro noſtro appoſitè,

Verùm ut de profectu in ſtudio noſtro magis ſecuri ſimus, Salvator, qui Magiſter nobis unicus & ſolus eſt, ipſe & pro omnibus mundi totius libris, ſolus & unicus liber erit, *ſcriptus intus & foris: intus Divinitate, quam,* ut ait Auguſtinus, *ſoli Beati legunt: foris, Humanitate, conſcripta, flagellis, ſpinis,* clavis, lanceâ, qui à nobis legendus eſt liber, de quo eleganter Aloyſius Iuglaris noſter.

Apoc. 5. v. 1.

Confeſſ. l. 11. c. 13.

Elog. 86.

Quid agũt characteres mortis in libro vitæ?
Tolle, lege nobilem paginam
Trophæa ſunt, non probra.

de Humil. c. 21.

B. Laurentius Iuſtinianus Dominum Ieſum *apertum codicem* appellat, *in quo legendo, & meditando, univerſa virtutum diſciplina diſcitur. Non in membranis,* inquit, *non in lapide, non in ligno, ſed ſanguine proprio, in ſua carne, conſcripſit librum hunc Salvator, utq; ab univerſis legeretur, publicè eum, in Crucis ſcilicet pluteo,* expo-

exposuit. Habet in eo foris simplex & indoctus quod legat; habet spiritualis, & perfectus, quòd intus intelligat. In eo scripsit charitatis compendium, perfectionis celsitudinem, virtutum normam; & totius humanæ redemptionis modum, ordinemq́; in hoc sui corporis inclusit volumine. Quam ob rem cùm scribere complesset, nihilq́; superesset scribendum, dixit, Consummatum est, Hactenus B. Laurentius Iustinianus. Atque hic liber est *thesaurus sapientiæ, ac scientiæ Dei,* *Coloss. c. 2. v. 3.* ut rectè D. Bonaventura dixerit, *Crucifixum sibi omnem bibliothecam esse.* Quod *In elog. vitæ eius.* & intellexit venerabilis illa Anna Maria Ordinis S. Claræ in Sicilia, Monasterii sui Superior, quæ subditas sibi Religiosas hortari solita est: si Patris sui sancti Francisci virtutem æmulari cuperent, non alio Magistro ac libro uterentur, quàm Iesu Crucifixo, quem unaquæque in cellula sua, in ejus effigie, præ oculis haberet.

Hunc nobis librum etiam indicat S. P. N. Ignatius, & unà quam in eo discere debeamus lectionem. *Colloquium,* inquit, absolutâ scilicet Medita-

tione, *fiet imaginando Ieſum Chriſtum coram me adeſſe in cruce fixum*, Ecce librum, audi lectionem. *Itaque exquiram rationem, quâ Creator ipſe infinitus, fieri creatura, & ab æterna vita ad temporariam mortem venire pro peccatis meis dignatus ſit. Arguam inſuper meipſum, percunctans quid hactenus dignum memoratu egerim pro Chriſto? quid agam tandem? aut agere debeam?* Ita & ſancta Ludgardis clauſis oculis corporis, animæ verò apertis, Chriſti in Cruce ante ſe pendentis effigiem conſiderabat, & veluti librum ſuum, pia mente legebat, quando Salvator ſe illi oſtendit patenti lateris vulnere; cui Virgo os applicans ex eo hauſit *illuminationem*, quam vocat Apoſtolus, *ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti*, per claram ſcilicet ejus, & redemptionis ab ipſo conſummatæ cognitionem.

Barth. Fizen. in vita eius, 16. Iunii.

1. Cor. 4. v. 6.

Habemus itaque Magiſtrum & librum, ac pro Cathedra crucem: ſcholas Magiſter ipſe offert, & aperit, ſacratiſſima ſua quinque vulnera; ſumus in his ſanctorum omnium condiſcipuli, in his docebimur, *quæ ſit longitudo, latitudo,*

ſubli-

ſublimitas, & profundum Crucis Christi, ut ſciamus ſupereminentem ſcientiæ caritatem Christi, & impleamur in omnem plenitudinem Dei, arbitrantes cum Apoſtolo, nihil nos ſcire, niſi Ieſum Christum, & hunc crucifixum. *Epheſ.3. v.19.* *1.Cor.2. v.2.*

Gymnaſium igitur ad hanc doctrinam capeſſendam adeamus. In prima ejus ſchola, vulnere ſcilicet ſiniſtri pedis, profundum crucis Chriſti nobis addiſcendum eſt, ejus ſcilicet Humilitas, qui etiam latronibus paſſus eſt ſe poſtponi, medius inter illos ſuſpenſus, qui Deus erat, ſanctitas, atque innocentia ipſa; ut Nihilum noſtrum, & peccata noſtra cognoſcentes, optemus omnibus poſteriores haberi. Hac in ſchola S. Paulus, & S. Franciſcus optimè profecerant, cùm ſe peccatores omnium maximos profiterentur, & tales æſtimari, diciq́ue cuperent. *1.Tim 1. v.11.* *In eius vita.*

In ſecunda ſchola, hoc eſt, in dexteri pedis vulnere Crucis Chriſti, debemus perdiſcere latitudinem: ut parato ac læto animo proſpera æquè atque adverſa complectamur, divinæ volun-

tati

tati in omnibus nos conformantes. Quod ſancto P. N. Ignatio adeò uſitatum fuit, ut in omni rerum eventu, non aliâ animâ, quàm Dei voluntate agi, ac vivere videretur.

Rib. in vita.

In tertia ſchola, hoc eſt, in vulnere ſiniſtræ manus, longitudinis Crucis Chriſti doctrina traditur, quam crucem ipſe ab æterno complexus eſt, & tandem ineffabili patientia atque æquanimitate ſubivit, ut & nos hoc exemplo patienter, atque æquanimiter Crucem noſtram admittamus, & cum ſancta Eliſabetha Hungariæ Regis filia, Haſſiæ Landgravia, ſocios conquiramus, qui in adverſis Deo nobiſcum laudes concinant.

Sur. in eius vita.

In quarta ſchola, hoc eſt, in vulnere dexteræ manus, Crucis Chriſti diſcemus ſublimitatem, ut animo à terra ſublato, divina tantum ſectemur, & cum Apoſtolo *in cælis ſit converſatio noſtra.*

Philip. 3. v. 20.

De quinta ſchola, in vulnere ſcilicet lateris & cordis Domini conſtituta, eleganter ita ſcribit qui ſuprà:

Iuglaris elog. 76.

Clatus

Elatus in Cathedram
Veri Magister Amoris
Idiomate amantum posthac loquuturus
Ore clauso, cor aperit.
Fideliorem Interpretem,
Doctrina cordium hactenus non invenit
An planè loquatur ex corde,
Idioma cordis interroga?

Schola itaque hæc, schola divini Amoris, eaque suprema est.

S. Vincentius Ferrerius ex D. Dominici familia, studiis fatigatus non alibi relaxabat animum, quàm in vulneribus Salvatoris, sibi in Crucifixo suo, obversantibus, fassus se in Dei, virtutumque scientiâ progressum majorem hisce in scholis fecisse, quàm in alio ullo orbis Gymnasio, quocunque magistro facere potuisset. In illis scholis & nobis omnis opera ponenda est, si ad supremum, libri scilicet vitæ æternæ præmium adspiremus. *Paul. Bar. in an. Sa.*



AD vulnus ſiniſtræ manus orabimus; pro ſancto Dei timore obtinendo, & ut ab inferis liberemur.

CONSIDERATIO I.

Vulnera Christi Thecæ Dei ſcriptoriæ.

THecas hominum ſcriptorias, ab atro colore, vulgò atramentaria dicimus; ego haſce thecas Dei ſcriptorias, à ſanguine Domini Ieſu, ſi loqui ita fas

fas est, Rubramentaria appellabo. Nihil æquè horrere solitus erat Iob Propheta, quàm Dei manum, quâ librum vitæ, ac mortis conscribit; *Scribis*, inquit, *Domine*, *contra me amaritudines*, *& consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ*. *Erat Iob vir simplex*, *& rectus*, *ac timens Deum*, *& recedens à malo*; thecam tamen Dei scriptoriam, manum ejus, ac calamum horret, ne his adolescentiæ suæ peccata annotaverit: & nos securi vivimus in peccatis non solùm adolescentiæ, sed & virilis ac senilis ætatis, perinde ac si Deo theca nulla scriptoria, nulla manus, nullusque calamus foret, quibus contra nos æternas scriberet amaritudines.

cap.13. v.26.

cap.1.v.1.

Terrore plenum est quod refert Cæsar Cardinalis Baronius. Pyrrhus Patriarcha Constantinopolitanus, in Monothelitarum hæresim inciderat. Romam evocatus, & à Theodoro I. summo Pontifice monitus resipiscit; sed vix dum Constantinopolim rediens, Aquileiam attigerat, cùm in eundem errorem relapsus, ei pertinaciter adhæsit.

T.8.an. Ch.646. n.15.

sit. Quare Pontifex, coacto Romæ Episcoporum concilio, post decretam contra Pyrrhum sententiam, summum Orbis tribunal conscendit, venerandum scilicet SS. Apostolorum Petri ac Pauli sepulchrum, eoque super, coram sacro Præsulum Concilio, & S.P.Q.R. sanctissimum Missæ sacrificium offerens, peractâ sacri calicis consecratione, partem Dominici sanguinis in atramentarium suum infudit, illoque scripsit, adversus Patriarcham sententiam, quâ illum ab Ecclesiæ Communione, & æterna salute proscribebat.

Anima mea, quàm meritò de te queritur Salvator! Clamat sibi graviora esse vulnera peccati tui, quàm corporis sui, nec times illum pretioso sanguine suo, charactere indelebili, scribere contra te mortis æternæ decretum? Ora anima mea, cum Divo Augustino, aliisque, & dicito: *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, illæ manus quæ pro me cruci affixæ sunt: opus manuum tuarum ne despicias. Ecce in manibus tuis descripsisti me, sacratissimo-rum*

Solil. c. 2.

rum vulnerum tuorum charactere, charactere scilicet suavitatis, & non amaritudinis, charactere misericordiæ, & non justitiæ, lege Domine Iesu hanc scripturam, & salva me.

CONSIDERATIO II.

Vulnera Christi.

Terror malorum, & Spes bonorum in Iudicio.

B*Eatus est homo, qui semper est pavidus,* inquit Sapiens. Abbas Elias dicebat *tria se timere solitum. Primum, quando anima corpore egreditur. Secundum, quando Iudici Deo sistenda foret. Tertium, quando extrema sententia esset pronuntianda: Cogitemus,* inquit Cæsarius Arelatensis, *illius Iudicis incessanter adventum, qui utinam nos sic paratos inveniret, quomodo nemo potest dubitare, quòd veniet! Quòd si requiras, quomodo veniet? In illo utique corpore, quod pro nostra salute susceptum, pro nostra absolutione natum, & pro nostrorum vulnerum medicina lanceâ, clavisq; transfixum est. Pri-*

Prov. 28. v. 14.

Herib. Rosw. in vitis PP.

Hom. 27.

ma erit in reos intoleranda sententia, reverendarum præsentia cicatricum, quando dicet Dominus, infer digitum tuum huc, & vide manus meas, affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnosce quæ pro te impio, pietas divina perpessa est.

Lib. 2. de Symb. c. 8. Quò se tunc, uti rectè S. Augustinus, peccator convertet? quando illi meritò exprobrabit Salvator, *vide hominem quem crucifixisti, vide vulnera quæ inflixisti, vide latus quod transfixisti, quoniam per te, & propter te, apertum est, & tamen intrare noluisti.* Neque minus terribile est, *p. 1. Stim. c. 2.* quod S. Bonaventura, *Apparebit*, inquit *Dominus Iesus cum vulneribus suis, & clamabit dicens: Videte quanta à vobis, & in vobis, & pro vobis passus sum, & tamen ingrati omnia contempsistis, & pro nihilo duxistis: Ite maledicti in ignem æternum.* Certum itaque est, in extremo judicio, impios, uti Propheta ait, aspecturos *in* *Zach. 12. v. 10.* *eum, quem confixerunt*; videbunt eundem & justi, sed hi ad solatium, illi ad horrorem. Ita Ludovicus Blosius, *Christus* *Instr. vitæ spir. medit. de Iud.* *Dominus*, inquit, *in judicio ostendet vulnera sua ineffabili decore fulgentia, quæ justis*

qui-

quidem dulcissimam consolationem, impiis verò horribilem confusionem adferent.

S. Mechtildis, die quodam Veneris sancto, eâ horâ, quâ Salvator Cruci figendus erat, alienatâ à sensibus mente, judicio divino sistebatur. Comparebant Deipara, Angeli, Sancti, creaturæ omnes. Credebat illa extremum adesse diem, & in orbem universum ferendam sententiam. Accusabat eam Dei mater de exigua nimis erga Dominum Iesum filium suum obedientia, Seraphini de tepido illius in eum amore, Apostoli de doctrina sua non accuratè satis ab ipsa observata, Sancti omnes de virtutum suarum exemplis, subinde neglectis, creaturæ quòd his ad Dei gloriam non semper usa fuisset. Quid agat hîc Mechtildis? procidit ad pedes Iesu Iudicis, rigat lacrymis, & per veneranda horum vulnera, misericordiam ac pacem implorans, sibi restituitur. Audi & horresce peccator, *si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

Lib. 1. Grat. Sp. c. 12.

Lego in Actis pro canonizatione B. P. Francisci Borgiæ, Tertii Generalis

Eusëb. Nierenbergius in vita eius.

Societatis Iesu promovenda, conſcriptis, virum in Hiſpania, quàm ſanguine nobilem, tam vitiis ac flagitiis infamem, gravi ægritudine correptum, ac de vita periclitantem tantâ obſtinatione in ſceleribus ſuis perſtitiſſe, ut recta omnes monentes rejiceret, nolletque de anima per Confeſſionem expianda quemquam audire. Venit tum fortè eam in urbem Borgia, qui cognito miſeri periculo, pro zelo ſuo, illum juvare cupidus, ante Chriſtum Crucifixum in genua procidit, eum ardenter obſecrans, & obteſtans, ut qui Orbi univerſo,ſanguine ſuo ſaluti fuiſſet, infelici ac pertinaci illi animæ non deeſſet.Franciſco hæc precato ex cruce Salvator: Adi,inquit, confeſtim ægrum, eumque hortare, ut ſe expiet,& ego mox illi, ut Medicus, & infirmorum curator adero. Abit Franciſcus ſpei bonæ plenus, & tanto adjutore gaudens, ad ægri domum ſe confert, quo Salvator jam anteceſſerat, Medici,ac prope famuli ſpecie illi ſolatia,atque obſequia deferens. Excipitur ab

infir-

infirmo non inurbanè Borgia, verùm ubi de Confessione cœpit agere, ad eam instituendam adduci non potuit. Recedit interim Dominus, relicto ad ulteriores conatus apud ægrum Francisco, qui & ipse, cùm operam perderet, etiam recessit, & denuo coram Christo crucifixo in genua provolutus, per sacra illius vulnera obtestatur, ut misero adsit. Cui Dominus: Conveni iterum pertinacem illum Francisce, meque tecum defer, si fortè me conspecto, cruci pro se fixo convertatur, & vivat. Rediit Borgia, & submotis arbitris, ut liberior esset æger, verbis ad pietatem omnem compositis, submissis in terram genibus, Christum Cruci affixum illi repræsentat: per passionem, dolores, sacra Domini Iesu vulnera orans, obsecransque, ut animæ suæ misereatur, æternitatem consideret; nolle Deum mortem peccatoris, sceleribus omnibus misericordiam eius majorem esse, ad omnia miser obsurdescit. Addit & vocem suam Dominus Iesus, & vocem sanguinis, quem ex

vulneribus omnibus copiosè effundebat: per hunc iterum iterumque obteſtatur Franciſcus; ſed nihil proficit. Tum verò Salvator revulſa à cruce manu, ſacroſanctum ſuum cruorem in faciem proiicit obſtinati peccatoris, qui quot guttas numerat, tot veluti linguis in magno judicii die, coram orbe univerſo, neglectam, & contemptam benigniſſimi Dei, ac Salvatoris ſui miſericordiam illi exprobrabit, ſuntque miſero, ut cum Ruperto loquar, *Veneranda Domini vulnera, æterna futura incendia.* Ita tecũ agetur peccator obſtinate.

l. 4. in Io.

CONSIDERATIO III.

Vulnera Chriſti

Teſſeræ fiduciæ noſtræ.

THronum divinæ Majeſtatis non ita obſident tonitrua ac fulmina iræ, & furoris in peccatores, ut miſericordiæ, ac benignitatis ejus radios obnubilent. Neque ſacratiſſima Domini vulnera adeò nobis terrori eſſe debent, dum

dum illa flagitiis noſtris conculcamus, ut omnem nobis fiduciam tollant; ſed per eam quæ in illis eſt, Dei benignitatem, ac miſericordiam, animos noſtros in certam ſalutis ſpem debent erigere. *Peccavi*, inquit Bernardus, *peccatum grande: turbatur conſcientia, ſed non perturbatur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras; Et ideo liquet erraſſe eum, qui ait: Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Veniam enim meretur ille, pro quo Chriſtus & vulneratus & mortuus eſt.* Ita Bernardus. *Serm. 61. in Cant.*

Hujus ſpei plena dicebat fidelis illa anima: *Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis*; quæ miſceo, ut illius amaritudinem horum ſuavitate temperem, & animum meum maximis preſſum anguſtiis ſublevem. Ita in horto Dominici corporis, ſacris quinque vulneribus, quaſi totidem areolis diſtincto, non ſolùm timoris myrrha, ſed & ſuaviſſima ſpei, ac fiduciæ aromata nobis legenda ſunt, firmiſſimè credendo, benigniſſimum Salvatorem nolle perire *Cant. 5. v. 1.*

animas tanto à se labore quæsitas, tanto pretio redemptas.

Neque alio argumento pusillanimes consolabatur D. Augustinus. *Noli*, inquiebat, *dicere: in cœlo non ero. tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi, si quod plus est tenemus, quod minus est, speremus. Qui pro nobis dedit mortem suam, non is daturus est vitam suam? & qui pro nobis pertulit mala, non is daturus est, quæ possidet bona? desperarem utique, sed non despero, quia vulnerum Domini recordabor.* Hæc Augustinus. Ad hanc fiduciam ipse etiam Dominus infinitâ suâ misericordiâ nos excitat. Aliquando enim sanctæ Birgittæ fassus est, si ulla apud inferos foret redemptio, toties iterum paratum se pati ac crucifigi, quot in æternis flammis animæ cruciantur. Spera itaque anima mea in Domino, & fac bonitatem, & pasceris in fiducia passionis, vulnerum, ac mortis ejus.

Serm. 74. ad fr. in eremo.

Lib. 7. Revel. c. 27.

Referunt Græci Scriptores morem gentis suæ obtinuisse, ut hospes sublatâ mensâ convivas suos dimittens, percussâ sibi venâ, pro haustu postremo,

Apud Lobbet. in Eccles. p. 259.

quem

quem τέλος φιλίας, hoc est, extremum amicitiæ appellabant, ſanguinem ſuum illis propinaret. Omnes corporis ſui venas aperuit Dominus Ieſus, ut in magna illa cœna, hauſtum æternum ſempiternæ felicitatis, ac ſuavitatis nobis propinaret. *Bibimus ergo*, ait Ambroſius, *pretium noſtrum, ut bibendo redimamur.* *Lib. 10. in Luc. c. 23.* Non vult tamen Dominus hauſtum hunc extremum eſſe ſuæ in nos benignitatis ac miſericordiæ, qui ſemper paratus eſt eum nobis non ſemel tantùm propinare, ſed millies ac millies repetere ac repræſentare. Exclamabo itaque cum Propheta regio: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam*, non unum ſed totidem, quot mihi vulnera offert, quæ mihi fiduciæ ac ſpei calices erunt pretioſo ſanguinis ejus potu inebriantia animam meam; hos, inquam, calices accipiam, *& nomen Domini Ieſu* pro me vulnerati *invocabo*, ut ſit mihi Ieſus. *Pſal. 115. v. 3.*

CONSIDERATIO IV.

Vulnera Chriſti

Conſummatio redemptionis noſtræ.

SAlvator noſter, poſtquam ſuffixus cruci fuit, accepiſſetque manuum, Heb.5.v.7. ac pedum vulnera, *preces, ſupplicationeſq;* ut ait Apoſtolus, *cum clamore valido & la-* Io.19. v.30. *crymis offerens*, dixit: *Conſummatum eſt;* opus ſcilicet humanæ redemptionis, quâ reſeratum cœlum, obſeratus infernus, homo Deo reconciliatus eſt. Cave anima mea, iterum æternæ damnationis viam ingredi, atque ita pretioſo Domini Ieſu ſanguine utere, divino illo redemptionis tuæ pretio, ne hoc peccatis tuis prodigas. Quod Salvator ipſe avertere conatur, continuâ ſuâ miſericordiâ te erudiens, ut ſaluti tuæ conſulas, pro qua tibi obtinenda tanta paſſus eſt, & pretioſum ſuum ſanguinem tam copiosè effudit.

Luc. VVad. an. Ch. 1220. n. 35. Nonnemo è D. Franciſci familia, in hanc ab ipſo ſancto Patre admiſſus, gravi

vi pulſatus tentatione, ut manum ab aratro tolleret, ac retrò reſpiceret, facultatem ab eodem petit repetendi ſæculum. Cui ille, Itáne fili? ut pro terra cœlum deſeras? pro parentibus, Salvatorem tuum pro te tanta paſſum? ut à via ſalutis, quam cœpiſti, ad viam regrediaris æternæ damnationis? Quibus verbis nihil ille commotus, Hugolinum S.R.E. Cardinalem Ordinis protectorem adit. ſed & huic ſaniora ſuadenti non auſcultans, ad Pontificem ſummum Honorium, ejus nominis III. ſe contulit, à quo etiam paſſus repulſam, fugit è Monaſterio. Vix è limine exceſſerat, cùm virum habuit indignante vultu obvium, qui, quò tenderet quærit: cui profugus ſtomachabundus; Quid, inquit, tibi mecum? quid ad te iter meum? viam ego meam, tu tuam ito. detexit illico viator latus, manuſque, ac pedes ſanguine fluentes, & ingemiſcens: poteris, inquit, teſtibus hiſce vulneribus agnoſcere, quàm mea interſit, de hoc tuo itinere te interrogare, quæ, ut te ab itinere æternæ damnationis,

tionis, in quod hodie recurris, abducerem, in cruce pertuli. An igitur non juremerito, quò pergas, à te quæro, qui cupio per hæc vulnera, per hunc sanguinem, te viam, quæ ad cœlum ducit, relegere? Est ille quidem salutem tuam operatus in medio terræ, sed non descendit ad inferos, quò tu properas, ut te inde iterum redimat. Commotus ille infinitâ hac Salvatoris sui benignitate, ad ejus pedes se abiicit, inconstantiæ, ac proterviæ veniam supplex orat, & velut prodigus ad Patrem reversus, à S. Francisco benignè recipitur, ac deinceps religiosæ vitæ exemplo omnibus præluxit. Ita nunquam non salutem nostram, quam semel consummarunt, sacratissima Domini vulnera, conservant. Ora hîc, anima mea, cum S. Francisco Xaverio: *Domine Iesu Christe, Deus cordis mei, per quinque illa vulnera, quæ tibi in cruce noster amor inflixit, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.*

CON-

CONSIDERATIO V.

Vulnera Christi Claustra inferni.

S. Catharina Senensis tanto erga animarum salutem zelo ferebatur, ut optarit non semel, ita se infernum posse obserare, ut reserari deinde non posset. Quod sancta illa Virgo optabat, hoc facere potest Dominus Iesus. est enim ipse apud S. Ioannem, teste D. Augustino, *Angelus ille qui habet clavem abyssi*; clavis hæc juxta D. Chrysostomum, Crux Domini est; juxta D. Bernardum, *clavus Salvatoris, clavus est reserans cœlum, obserans abyssum.*

Surius in vita.

Apoc. 20. v. 1.

Lib. 20. de Civ. c. 7.

Serm. 61. in Cant.

S. Mechtildis, orationi more suo, intenta, infernum aliquando vidit patentem, in eoque serpentes, dracones, tigres, leones, lupos, canes mutuis se morsibus atrocissimè laniantes. Interroganti quid sibi hæc monstra vellent? respondit Dominus animas esse, quæ nun-

Lib. 5. Grat. Sp. c. 11.

nunquam Salvatoris sui, passi scilicet, & suppliciorum, ac vulnerum ejus dulciter meminissent; quibus tamen veluti clavibus cœlum aperitur, & clauditur infernus;

Lib. 8. Mir. c. 8. Necessarias nobis hasce claves esse lego apud Cæsarium, qui refert à quodam visos fuisse cum Christo crucifixos quindecim Ordinis sui Religiosos; quam crucifixionem scribit Obedientiâ, patientiâ, ac humilitate perfici; pedes humilitatis, patientiæ sinistram, obedientiæ clavo figente dexteram; malleum esse spem cœli, atque inferni horrorem, ut clavi, malleus, vulnera Salvatoris, claves nobis sint cœli ac abyssi, quibus illud aperitur, hæc clauditur;



AD sacrum hoc vulnus dexteræ manus, cum omni fiducia pete à Deo, ut æternam beatitudinem consequi possis.

CONSIDERATIO I.

Vulnera Christi.

Cœlum in terra.

SI fieri potest, ut in terra cœlum reperiatur, hoc ille consecutus est, qui sacra Domini Iesu vulnera invenit. Cœli felicitas ac beatitudo est Deum intue-

Psal. 17. v. 15. intueri; *Satiabor*, inquit Propheta Regius, *cùm apparuerit gloria tua.* Animarum autem in hoc mundo beatitudo consistit in meditatione, & cognitione atque imitatione patientiæ, quam in passione, cruce, vulneribusque suis tolerandis, Salvator nobis exhibuit, quæ illi adeò gravia fuerunt, ut indignum arbitrari debeamus, sine passione, cruce, ac vulnere esse, ubi Dominum Iesum passum, crucifixum, vulneratum conspicimus. *Vult benignus Dux,* Serm. 61. in Cant. ait Bernardus, *devoti militis sui vultum in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo suo, reddat ad tolerandum fortiorem, ac lætiorem. Enimvero non sentit sua, dum illius vulnera intuetur.* In quo animæ tolerantis ac patientis summa in terris est felicitas, ac beatitudo, patientem se ac dura tolerantem in patiente, ac duriora tolerante Salvatore contemplari.

De cœli pulchritudine quid dicam? Inexplicabilis illa est à Dei Majestate, à gloria Deiparæ, Angelorum ac Sanctorum omnium, ab ornatu, & constitutione

tutione, quæ à D. Ioanne deſcribuntur, deſumptâ comparatione ab iis, quæ in terra ſunt ornatiſſima, ac ſplendidiſſima. Præclarè D. Auguſtinus: *Pulchrum, inquies, eſt cælum, ſed pulchrior eſt fabricator cæli. At video cælum, inquies, & illum non video: oculos enim habes ad videndum cælum, cor nondum habes ad videndum fabricatorem cæli. ideo venit de cælo, ut mundet cor,* (aquâ ſcilicet & ſanguine manante è cordis ſui vulnere) *quo videatur qui fecit cælum, & terram.* Ita Chriſti ſacroſancta vulnera non ſolùm dignos nos reddunt, ut Dei, cœliqúe pulchritudinem conſpiciamus, *ſed & ipſa,* ait Bloſius, *plus pulchritudinis, lætitiæ, atque claritatis toti cæleſti curiæ conferunt, quam omnia alia quæ in vita perenni, excepta divinitate, habentur. quare deplorandum, ait, tantam pulchritudinem, toto terrarum orbe, parum adeò ab hominibus æſtimari.*

Apoc. 21.
In pſ. 85.
Expl ſup. paſſ. Dom. c. 19.

In monte Thabor *facies reſplenduit Salvatoris, ſicut Sol, & veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo;* ut ait Marcus, *non poteſt ſuper terram candida facere;* æternæ quip-

Matth. 17. v. 1.
Mar. 9. v. 1

pe lucis candor illis à Domino communicabatur. Captus hoc ſplendore, & candore, ac gloriæ dulcedine Petrus, ſui ac ſociorum Apoſtolorum oblitus exclamat: *Domine, bonum eſt nos hîc eſſe; faciamus hîc tria tabernacula: Tibi unum, & Moyſi unum, & Eliæ unum. Non enim ſciebat, quid diceret*, ait Evangeliſta. Verùm ſcit ſanctus Bonaventura quid dicat, cùm vult, *ut faciamus tria tabernacula in vulneribus Salvatoris, unum in pedibus, unum in manibus, & unum in latere ac corde Ieſu; in quibus planè bonum eſt nos eſſe, omnia opera noſtra peragere, & cælo in terra frui*, eſt enim in illis omnis cœli ſplendor atque ornatus. S. Mater Tereſia, ſolo ſplendore, ac lumine vulneris dextræ manus conſpecto, ita afficiebatur animo, ut ſpreto omni eo, quod mundus pulchrum æſtimat, ſacro iſti vulneri ſemper adhæſerit, atque hoc, velut cœlum ſuum, ſemper habuerit. Quid ſi reliquorum gloriam conſpexiſſet? crediſiſſet ſanè cœlos novos in terris creaſſe Deum.

1.p. ſtim. c.5.

In vita.

De cœli ſuavitate, quid dicam? de illa

illa ambrosia? deque illo nectare? *Tanta*, ait Augustinus, *suavitas ac jucunditas est lucis æternæ, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere, quàm unius diei morâ; propter hoc solùm, innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritoq; contemnerentur. Non enim falso ac pravo affectu dictum est: melior est dies una in atriis tuis super millia.* Habent & hîc, in terris, atria Domini, sacratissima scilicet illius vulnera, jucunditatem, & suavitatem suam, quæ omnes mundi delicias superant, & cœlestes adæquant. Ita expertus judicavit Abbas Blosius, cùm ait: *Ore ad patulum vulnus lateris ejus apposito, cælestem suavitatem ex corde ipsius manantem gustato, revera enim torrens voluptatis illinc erumpens te abundanter satiare poterit.* Ita sancta virgo Ludgardis lateri Domini sibi occurrentis, dum ad templum ægra se conferret, os applicans tantam exsugebat dulcedinem, ut nullis posse affligi ærumnis se crederet, in quibus cœli solatia ex divino illo fonte hausta non experiretur. Ista dulcedine perfundebatur

Aug de lib. arb. l. 3. c. 25.

Marg. Sp. c. 19.

Barth. Fizen. in vita 16. Junii.

Inst. spir. c. 11. tur Blosius cùm ait, *Saluto, Domine Iesu, rosea, ac suavissima vulnera tua, quæ suscepisti pro me, & in quibus descripsisti me. salvete, salvete, salvete veneranda, & salutiferæ plagæ Redemptoris mei, & amatoris mei.* Ita Dei servi animum recreant in Domini Iesu sacris vulneribus.

In eius vita. S. Clara Assisia, nullo non die statis precibus sacra Domini vulnera salutabat, ac venerabatur, quo in pietatis exercitio ingenti semper consolatione perfundebatur, utque sanctissimorum horum pignorum assiduum haberet monitorem, fune aspero nodis quinque implexo corpus cingebat.

Neque in oratione tantummodo, piisque devotionis exercitiis, quibus vulnera Domini colimus, hanc cœli suavitatem invenire est; sed in ipsa etiam tribulationum, atque afflictionum amaritudine, uti mox in sancta Ludgarde vidimus, & ipse Salvator nos docet. Iuvenis nobilis & lectæ virtutis familia Senensis, Ioannes de Incontris in deliciis paternæ domus educatus, illis nuntium remittens, Ordini sancti Augustini

Laur. Scala vin. Moral. 19. de pass. Dom.

gustini nomen dedit. Mox tamen vitæ religiosæ incommodis in gravem mœrorem dejectus, domum paternam repetere statuit. At non passus id Salvator se illi videndum obtulit, detecto lateris vulnere; fili, inquiens, ubi cibus tibi minùs sapidus, lectus durior, nocturnæ vigiliæ meis concinendis laudibus constitutæ molestiores fuerint, ingredere vulnus hoc, & intinge illa in divino sanguinis mei condimento, & cœlesti tibi suavitate dulcescent. Monenti obtemperavit juvenis, & tantis cum solatiis, tantis virtutibus vitam peregit, ut beati appellatione à sede Apostolica meruerit condecorari. Non absimile est, quod de sui ordinis religioso scribit Hieronymus Gratianus, vir religiosissimus. Ille in Hispania, mensæ accumbens in communi triclinio, cùm vinum tam acidum, ut acetum magis videretur, quàm vinum, Oeconomus apposuisset, illud bibens, lateri Salvatoris os sibi videbatur applicare, ex eoque potum haurire favo ac melle suaviorem. Suo etiam solatio, à vulne-

Carolus à Arux. in logiis.

rato Salvatore affectus fuit frater Ioannes Baptista Faventinus ex D. Francisci familia Capucinus laïcus. Hic perditis moribus homo, cùm Ordini illi sacro se dedicasset, tantò in religiosa vita melior, quantò in priore deterior fuerat, monitus coram toto monasterio à superiore suo, vel ut emendaretur, vel ut ad omnem virtutem magis erudiretur, adeò monitionem hanc sensit, ut venâ pectoris disruptâ sanguinem per os copiosè ejecerit, quem manu excipiens, & ad Ecclesiam convolans, Salvatori in cruce pendenti obtulit: En, inquiens, Domine, quæ pro te patior. Cùm ecce Dominus, revulsâ è cruce manu, sanguinem è sacro suo latere profluentem cum simili voce reddidit: en Baptista, quæ ego pro te passus sum. Quâ Salvatoris sui benignitate confirmatus, quæcunque illi deinde ardua occurrerunt, in latere ac sanguine Domini reposuit, atque in deliciis habuit, & tanquam dona è cœlo missa de manu Dei accepit.

Ita vulnera Domini gaudia sunt, so-

latia,

latia, dulcedo, ac beatitudo in terris ad patientem & vulneratum Salvatorem recurrentibus, eumque sincerè amantibus; ad quem eleganter ille nos invitat, cùm ait: *Iuglaris elog. 86.*

Huc, huc, vel è cœli Hybla apes mellificæ,
Vbi flori unico quinq; alvearia non sufficiunt,
Tam suavis est.

Est enim Salvator flos ille campi, & lilium convallium, adeò succulentus & suavis, ut mellis, & consolationis omnis materiam in quinque sacrorum vulnerum suorum divinis alveariis superabundantem sufficere possit, quâ, quidquid adversum nobis, atque acerbum accidit, veluti dulcedine è cœlo haustâ leniamus. *Cant. 2. v. 1.*

CONSIDERATIO II.

Vulnera Christi

Viæ ad patriam.

A*Dvenæ super terram, & peregrini sumus omnes.* Viæ nobis ad patriam sunt Domini vulnera. Illam viam nobis *1. Pet. 12. v. 11.*

 osten-

In Ps. 60. ostendit S. Augustinus: *Salvator*, inquit, *si spes nostra factus non esset, non nos deduceret: deducit tanquam dux, & in se ducit*; per vulnera scilicet sua, tanquam per viam, & ad se ducit, tanquam ad patriam.

Apoc. 21. v. 21. Portæ cœlestis Hierusalem singulæ, ex margaritis singulis constructæ sunt: sed per has ingressus non patet, nisi per portas anteriores, ex vulneribus Domini, veluti totidem pyropis constructas, ut de his rectè ille dicat:

Iugl. elog. 86.
Hâc ad arcana cœlitum iter est,
Hæc qui ad Deum non intrat per ostia,
Fur est, & latro.

In vita. S. Edmundus morti proximus, Christi in cruce pendentis effigiem postulabat, cujus vulnera deosculatus: Hæc, inquit, naves meæ sunt, quibus plenis fiduciæ velis, per rubrum sanguinis Dominici mare, in diu optatum patriæ cœlestis portum penetrare spero.

Exod. 13. v. 22. Filiis Israël eductis à Deo, per desertum, in terram promissionis, ne aberrarent, dux fuit *columna nubis per diem, columna ignis per noctem.* Ita & nobis, in dubio

bio hoc æternæ ſalutis itinere, columna Dominicæ crucis dux eſſe debet, vnlneribus Salvatoris, veluti totidem luminibus refulgentis, ne errore non reparando à via deflectamus. Verùm, uti qui in lubrico ac prçcipiti loco iter facit, ductore aliquo opus habet, qui manum porrigat; ita & quilibet qui cœli viam ingreditur, duce opus habet. Ductor autem ille, Salvator eſt; quod, more ſuo, melliflué ſcribit S. Bernardus ad Hugonem Novitium; *Ep. 351.* *Crucifigere*, inquit, *pariter cum Christo*; (ſocius dolorum ejus eſto) *nec lædere aliquatenus poterunt clavi, qui per manus eius ac pedes, ad tuos uſque pervenient*, totum tibi figent Salvatorem; & pedes tui pedibus eius confixi, quocumque in lubrico, quovis in præcipitio, gradientur ſecuri, manuſque ejus tuis fixæ, te ad cœleſtem patriam deducent. Hanc viam tene, hoc duce gradere viator quiſquis cœlum petis, & non aberrabis.

CONSIDERATIO III.

Vulnera Christi
Pignora animarum.

MAgno Reipublicæ bono, Montes, quos pietatis nuncupamus, aperiuntur, ut qui paupertate, vel necessitate aliquâ premuntur, dato pignore, sibi consulere possint. Anima mea plurimum dubito, an egestatem tuam sat noveris. Dicis fortasse cum illo, apud D. Ioannem, *quia dives sum & locupletata, & nullius egeo; & nescis, quia tu es misera, & miserabilis, & pauper, & cæca, & nuda.* Ita nobiscum agitur, & tamen miseriam nostram non capimus. Sed quod paupertati nostræ remedium inveniemus? Ad sacratissima Domini Iesu vulnera, & pretiosum ejus sanguinem confugiendum, veluti ad pignora, quibus neque in cœlo, neque in terra digniora, atque opulentiora sunt. Cum his properandum nobis ad Montem pietatis, ad Calvariæ, inquam,

Apoc. 3. v. 17.

quam, Montem, ad thronum gratiæ Dei, & tali datâ arrhâ cœlum ipsum nobis obligabitur.

Pignus hoc uti refert S. Mater Teresia invenerat anima illa admodum afflicta, & sollicita ante Crucifixum Salvatorem consistens, quæ cùm dolenter agnosceret paupertatem, & egestatem suam, atque omnino nihil sibi esse, quod pro peccatis suis divinæ offerret Majestati, ex ipso audivit Crucifixo, se vulnera, sanguinem, universosque passionis suæ dolores illi donare, ut ea veluti propria patri suo cœlesti repræsentaret, isto pignore ab ipso omnia impetraturam. Quid ni & nos impetrabimus?

Objiciebat D. Bernardo Dæmon, nullum illi ad æternam gloriam jus esse. Reposuit vir sanctus; æternam gloriam duplici titulo Christo deberi, primò, quòd æterni patris unigenitus sit filius, adeoque cœlestis regni hæres; altero, quòd suo illud sanguine comparasset, factus obediens usque ad mortem. Primus titulus, aiebat Bernardus, *In vita eius.*

cùm

cùm Salvatori meo plus quàm ſatis ſit, alterum ipſe miſericorditer mihi cedit, quo, veluti pretioſiſſimo pignore, mihi cœleſtem gloriam polliceor, atque hac fiduciâ fretus, vitam deinceps ſecurè tranſigam.

Exemp. 51. de Mir. B.V.

Quam ut & nos tranſigamus ſecuriùs, juvat hac ſuper re audire Diſcipulum. Narrat is quendam nomine quidem, ſed non moribus Religioſum fuiſſe ſolitum, quot diebus centum Angelicis ſalutationibus Deiparam venerari. Placuit clementiſſimæ Matri hominis pietas, ſed diſplicebat vita improba. Pro ejus ergo ſalute ſollicita, Deum orat, ut morbum illi gravem immittat, qui animis ſæpè mederi ſolet; lecto ergo affixus, & morti proximus, rapi ſibi ad tribunal Chriſti viſus eſt, à dæmonibus graviter accuſari, atque ab irato judice illis adjudicari. Quid agat miſer? ad cujus confugiat auxilium, ſupernè judex illi iratus, inferiùs patens infernus, intus conſcientia accuſans, circa vincientes dæmones, & mox illum abrepturi. Dum autem in

cœlum

cœlum oculos conjicit, an nullus inde exſurgeret patronus, adeſt ecce Miſericordiæ Mater, pro cliente ſuo ſupplex apud Iudicem filium: illi ſalutationes Angelicas omnes variis ſchedis deſcriptas, honori ſuo à reo recitatas repræſentat. E contrario dæmones ingentia volumina flagitiis referta producunt. Bilanci utraque imponuntur; volumina longè præponderant. Vrgens tamen pro filio prodigo pientiſſima Mater: Nate, inquit, tu ſanguis meus, & caro de carne mea, ego te in ætatem iſtam perduxi, & lac virgineum tot menſibus dedi, recognoſce, obſecro, hujus clientuli mei cauſam: non illi paſſionis tuæ ſupplicia, non flagella, non ſpinas, non crucem, non ſanguinem tuum omnem depoſco; ſed eius tantùm guttulam unicam, & minimam mihi, fili, pro miſero concede. Ad quæ Dominus: Ita eſt Mater; tuus ego, & omnia mea tua ſunt, neque fas eſt, ut avertam faciem meam à te. Hæc ita elocutus, è divino latere pretioſi ſanguinis ſui guttam accipiens, vir-

virgineis sanctissimæ Matris suæ manibus obtulit, quam illa omni veneratione acceptam lanci imposuit, in qua schedulæ erant, eaque flagitiorum voluminibus longè præponderavit. Abscessere dæmones horrendis ululatibus omnia complentes, ac Mariam sibi semper inimicam, peccatoribus securum misericordiæ perfugium, Dominicum sanguinem, quem etiam sceleribus suis conculcarunt, pignus illis esse salutis æternæ, quiritantes. Postremum addo. Tiro è D. Francisci familiâ moribundus, à mente alienior, exclamabat, ô si natus non essem! mox in has voces erumpebat: libram æquo examine suspendite. Deinde iterum, etiam in istam lancem imponite tantillum de passione, cruore, ac vulneribus Domini Iesu Christi. sibi redditus, rogatus ab adstantibus, quid ita exclamasset? quid sibi illæ voces vellent? Vidi, inquit, Dei iudicium, & in eo omne verbum otiosum, ac minimum quoque defectum severè examinari, operaque mea bona, erratis meis composita in multis deficere;

In Chron. l. 4. c. 35. p. 2.

cere;

cere; rogavi itaque divinam misericordiam, ut de Salvatoris mei meritis parum operibus meis adderetur; quod ubi factum, benignè pro me pronuntiavit Iudex. dixit, & beatam animam Deo reddidit, ac tanto pignore æternam fælicitatem obtinuit.

CONSIDERATIO IV.

Vulnera Christi Omnis felicitas.

ILla hominum animis temeritas insidet, ut ex manuum nescio quibus notis, quæ eventura credunt, ominari non erubescant. Dicam ego cum Regio Propheta: *In te speravi Domine, dixi* Ps.30. v.15.
Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.
Audito nomine sortium, inquit Augustinus, *non debemus sortilegos quærere. Sors enim non aliquid mali est. Quid igitur est, in manibus tuis sortes meæ? sortes dixit, quantum ego existimo, gratiam quâ salvi facti sumus*, quæ ex Domini Iesu manibus, clavis in cruce confixis fluxit, fecitque nos, *In hunc locum.*

Ad Colos. 1.v.12. nos, ut Apostolus ait, annumerari *in partem sortis Sanctorum.*

In Achai. l.7.n.50. Refert Pausanias speculum ad templum Cereris fuisse expositum, in quo quisque, ubi odores accenderat, & ritè deam precatus fuerat, eventuram sibi sortem felicem, vel infelicem, conspiceret. Fabula hæc est, & insanum dæmonis ludibrium. verissima specula nobis exhibent sacra Domini vulnera, in quibus infelicitas nulla, sed felicitas omnis demonstratur. Ludovicus Blosius; *Melliflua Redemptoris nostri vulnera*, inquit, *revera mundissimum speculum sunt. si quis illa cum Apostolo penetrare sciret, inveniret in eis, quidquid divinitas exhibere potest, quod est omnis beatitudinis, ac felicitatis complementum.* *Marg. Sp. c.19.*

In Hist. Coll. Mon. Soc. Iesu an. 1599. Monasterii, in Westphalia, matrona quædam acatholica binos habebat filios, quos, ea in urbe, Societati in scholis suis erudiendos commiserat. Vanitati hæc nimis addicta, ad speculum comebat, & componebat se crebriùs; quod cùm parvuli observant crucifixum, ex arula sua, materno speculo appen-

pendunt, quo ſpectaculo illa permota, atque in Salvatore ſuo vulnerato, quaſi in puriſſima cryſtallo fœditatem, atque errorem ſuum contemplata, hæreſim ejurat, moreſque mutat; à natis felicius immortali vitæ reddita, quàm eos ipſa in mortalem ediderat. Ita in divinis vulnerum Domini ſpeculis ſors & felicitas noſtra conſtituta eſt. Id quod etiam edoctus à Deo eſt vir religioſiſſimus B. Henricus Suſo, è D. Dominici familia. Hic aliquando magnâ preſſus triſtitiâ, & de ſalute ſua anxius, hanc de cœlo vocem audivit: Surge, ingredere in vulnera mea, nam in his felicitas tua unica conſiſtit.

CONSIDERATIO V.

Vulnera Christi

Auxilium animarum Purgatorij.

R. P. N. Iacobus Laines, ſecundus Generalis Societatis Ieſu, ipſo ſtatim initio gubernationis familiæ

suæ, quidquid ad eam vel tuendam, vel promovendam, ubique terrarum facere posset, attentè circumspiciens, impensè per litteras quædam rerum capita commendavit; inter quæ hoc in primis erat, *ut quotidiè quamque frequentissimè animarum, quæ in Purgatorio igne cruciantur studiosè omnes meminissent. Nam quandoquidem Societas tantum exhaurit laboris, occupationibus tam multis, sive litterarijs, sive spiritualibus, eo dumtaxat consilio, ut homines, ad æternam felicitatem consequendam juvet, quem ad finem creati, pretioq́ tam grandi redempti sunt; consentaneum profectò esse, ut eundem prosequentes charitatis spiritum, etiam ex hac vita digressis, ad cursum conficiendum opitulentur, ne justa sit illis causa Societatis charitatem, quasi imperfectam, & mancam accusandi, & meritò liceat conqueri, se medio in itinere, eoq́ in loco destitutos, ubi nullam omninò sibi ipsis opem queant adferre.* Idem ipsum B. Franciscus Borgia post alterum Generalis III. suis vehementer commendatum cupiebat.

Francisc. Zach. To. 2. Hist. Soc. Iesu.

Si igitur ea nobis etiam est cura, ut

clavis,

clavis, & clavibus ſacrorum Domini Ieſu vulnerum, cœlum vivis reſeremus, potiori ſanè jure idem vitâ functis commiſerationis & caritatis obſequium præſtare nos oportet. Refert ſancta Mechtildis ſibi à Salvatore revelatum eſſe, quotieſcunque honori ſacrorum ſuorum vulnerum quinquies oratio Dominica, & ſalutatio Angelica recitantur in ſubſidium purgantium animarum, eas mirè recreari, licet pœnis ſuis non continuò eximantur. Sancta Gertrudis non unam animam cœlo tranſmiſit, poſtquam eâdē prece, Domini vulnera ſalutaſſet, & deoſculata fuiſſet. Refert S. Antoninus obſervatum non raò fuiſſe, B. Ioannem de Alvernia, Ordinis PP. Prædicatorum, vulnerum Salvatoris cultu, tot animas è Purgatorii flammis ſolviſſe, quot ab ingenti igne vehementer agitato in aëtem evolant ſcintillæ.

Lib.5.c. 10. Grat. Spir.

p.3 tit. 24. c.8.§.15.

Matrona pia inprimis Beatæ Liduwinæ Virgini Hollandæ, ex oppido Schidamo perfamiliaris, cùm ei diceret, ſi ſalutis ſuæ certa foret, ſe ignibus

In vita.

 pur-

purgatoriis, tot cupere annis cruciari, quot in vicino vase sinapis grana continerentur. Non rectè, inquit Lidwina sapis, ac loqueris dilecta, neque satis cruciatibus Salvatoris, ac sacris ejus vulneribus confidis, quæ potentissima remedia sunt, ut te, atque alios à purgatorii igne liberes. Vivere illa desiit; dein magno ploratu sociæ Lidwinæ apparet, ac suam diffidentiam accusat; orat, obsecratque, ut meritis sacrorum Domini vulnerum è tormentis ineffabilibus eximatur, quod Lidwina præstitit, cœlumque exemptæ flammis animæ aperuit.

Alexis de Salo de Purg. p. 2. c. 9.

B. Henricus Suso, de quo paulò antè, Coloniæ Agrippinæ studiis operam dabat, quibus decursis, abitum parans, cum altero ejusdem ordinis Religioso, sibi ob probitatem devincto, pactum iniit, ut qui ipsorum alteri superstes viveret, pro defuncto, quot hebdomadis, anno integro, diebus Lunæ Deo Missæ sacrificium offerret, quod pro mortuis legi solet: diebus autem Veneris, quod de passione Domini. Moritur

ritur post annos plures, Susoni ille familiaris, quod ubi hic intellexit, orationibus variis, ac piis operibus amici animam Deo commendat. Comparet tandem defunctus; conqueritur de fide sibi non servatâ, ignibusque purgantibus vehementer eam ob causam se cruciari. Ait Suso, ex quo de illius obitu certior factus esset, non destitisse se animam ejus Deo impensè commendare. Sanguinem, sanguinem clamabat defunctus, sanguinem posco. Vbi Missæ sacrificia mihi promissa, & pacto firmata? quæ passionis ac vulnerum Domini meritis, præsentissima purgantibus animabus sunt auxilia. Damnavit Suso oblivionem suam, & promissa sacrificia persolvere cœpit, sociumque suppliciis exemit. Sanguinem, sanguinem, flagitant à nobis defuncti, quem in sacra generali, & quacunque corporis Domini Communione, in sacrosancto Missæ sacrificio, quod vel de Defunctis, vel de Passione Domini, vel de immaculata Deiparæ Conceptione, more Hispanico,

 legitur,

legitur, vel novæ hujus coronæ usu, illis haurire possumus, purgatoriis flammis extinguendis efficacissimum.



Vulnus lateris Christi

DE sacratissimo hoc vulnere Ioannes Evangelista solus meminit. Ille scilicet *discipulus, quem diligebat Iesus, qui & supra pectus Domini in cœna recubuit;* cui proinde conveniebat acceptum à Salvatore vulnus cordis atque amoris, præ reliquis, posteritati tradere.

Io. 21. v. 20.

Quærunt sacræ Scripturæ Interpretes, dexterúmne, an sinistrum Domi-

ni

ni latus à milite lanceâ percuſſum fuerit? Franciſcus Zuares antiquo ſenſu, à quo conſultum non ſit recedere, ab Eccleſia receptum eſſe ait dexterum latus, uti imagines referunt, crucifixi Salvatoris lanceâ fuiſſe apertum. Sunt tamen, qui rationi, cum D. Cyrillo conſonum putant, ſiniſtrum Domini latus perfoſſum, cùm in illo cor reſideat, quod vitæ principium eſt, ut certiùs de Salvatoris morte conſtaret, à qua generis humani redemptio dependebat, quando illud transfixum videretur. Conciliari tamen poſſunt hi auctores, ſi cum Prudentio credamus tam gravi vulnere dexterum latus percuſſum fuiſſe, ut lancea univerſum pectus ad cor uſque penetrarit, evidenti mortis, amoriſque Domini erga nos argumento. *In Carm. de paſſ.*

CONSIDERATIO I.

Vulnus lateris Christi

Principium & origo Ecclesiæ, ac regenerationis nostræ.

VVlnus lateris Domini Iesu potentius, quàm reliqua, animos nostros provocat, & afficit, neque præ illo, aliud sæpius exhibuit Salvator, quia cordis simul, atque amoris vulnus est, & Ecclesiæ, nostræque regenerationis fons, & origo, uti communi consensu sancti Patres affirmant. Ita S. Leo manifestè: *Tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ejus profluxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptismatis.* Cui præclarè consonat S. Ambrosius: *Ex illo incorrupto corpore; sed defuncto, omnium vita manabat, aqua enim & sanguis exivit: illa, quæ diluat, ille qui redimat.* sed more suo doctè, & ingeniosè D. Augustinus: *Ascendat*, inquit, *sponsus thalami sui lectum, dormiat moriendo, aperiatur latus ejus, &*

Ep. 4. c. 6.

Lib. 10. in Luc.

De symb. ad Catech c. 6.

& Ecclesia prodeat virgo, ut quemadmodum Eva facta est ex latere Adam dormientis, ita Ecclesia formetur ex latere Christi in Cruce pendentis. aqua videlicet quæ de latere Salvatoris lanceâ percusso continuò exivit, significat sacrum baptisma, & sanguis sanctissimum Eucharistiæ sacramentum : uti ex Cyrillo, & Chrysostomo docet Franciscus Cardinalis Toletus, adeoque per Baptismum regeneramur Deo, per sacram verò Eucharistiam, ejus obsequio, & gloriæ nutrimur. *Io.19.*

Aptè videor posse me hoc loco usurpare nomen illud, quo Salvator ipse juxta Alcazarii nostri mentem se ipsum appellat, cùm ait, *Ego sum* A *&* Ω, *Principium, & finis*; nam ut A litterarum est principium aliarum, notaque absolutionis, ac felicitatis apud Romanos, aliasque gentes, ita & Salvator A est principium, & signum absolutionis, felicitatis, ac salutis nostræ. Neque, ut Ioannes Pierius Valerianus rectè ac piè observat, Alpha simplex est Salvator; sed Pentalpha figura illa antiquis- *Apoc.1. v.8.*

sima, & vulgatissima (quam alibi Pentagonum diximus) esse demonstratur: nam lineæ per angulos suos rectos (uti in subjecta figura patet) ductæ à pedum ad manuum vulnera, ac deinde ad vulnus lateris, Pentalpha conficiunt perfectissimum, singulaque vulnera Alpha sunt, principium scilicet Ecclesiæ, regenerationis, ac salutis nostræ; quod licet à SS. Patribus potissimùm vulneri lateris Domini tribuatur, omnibus tamen, & singulis vulneribus adscribendum est: nullum enim est, quod non sit principium Ecclesiæ, atque origo regenerationis, ac salutis nostræ, quæ uti à Salvatore tanquam ab A habet principium, ita & in ipso veluti in Ω, & fine nostro conquiescit. Cujus ego, nobis tam desideratæ veritatis non aliud quàm ipsiusmet Domini Iesu testimonium pono, qui ultimo Apocalypsis capite, hęc suprema sui in nos affectus verba pronunciat: *Ego sum* A *&* Ω, *primus & novissimus, principium & finis. Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per*

por-

portas intrent in civitatem. Per quas portas quid aliud, & quid suavius quàm sacratissima Domini vulnera intelligamus? quando hoc ipsemet tam clarè insinuat, dicens: *Beatos qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas* vulnerum scilicet in cruce, hoc est, ligno vitæ acceptorum & manantium divino sanguine in ablutionem omnis peccati, tamquam per principia & fines salutis nostræ intrent primo quidem in civitatem Sanctorum, hîc in Ecclesia militantium, ac denique in civitatem domesticorum Dei triumphantium in cœlo, & in Deo beatitudinis omnis novissimo termino quiescentium.

Habes amice Lector, eorum quæ diximus in subjecta imagine explicationem illam pio oculo dignare, & ad considerationis hujus extremum perge.


A.S

Refert Lucius Marinæus Sanctii Garsiæ Aragoniæ Ducis septimi matrem Vracam nomine, illo gravidam, cùm in bello contra Mauros socia Garsiæ Cunico marito esset, fortis & animi plena mulier, lanceâ in latere, grandi vulnere, ab hoste percussam fuso exercitu, & Cunico occiso, in fuga mortuã, in Navarræ montibus solam concidisse, ubi fortè à Nobili quodam, cui Guevara nomen erat, deprehensa, & agnita, cùm, quem utero gestabat, infantulus per vulnus manum exereret, eum è matris utero excidit, ac testibus adhibitis, sacro fonte ablutum uxori alendum commisit, summo silentio, pastoritio deinde habitu, & famularibus muniis injunctis, alumni sui fortunam, ipsi etiam ignotam per annos omnino quindecim dissimulavit. Quo tempore evoluto cùm Aragoniæ Proceres ad eligendum sibi Principem convenissent, Guevara alumnum suum illis obtulit, postquam, mirantibus rei totius seriem, prout contigerat ordine explicasset. fuitque is magno omnium consensu *To. 1. Hist Hisp. l. 8.*

ac

ac plauſu Aragoniæ Dux ſeptimus renuntiatus.

Cap.46. v.3. Geſtabamur omnes intra viſcera miſericordiæ Dei ac Salvatoris noſtri, uti ex Iſaia diſcimus. Longinus lanceâ latus ejus aperuit, per quod ad vitam æternam ſumus omnes regenerati. Hunc ſenſum altè imbiberat Eleonora d'Inochoſa Domini ac Magiſtri Ioannis de Avila, viri religioſiſſimi, ac doctiſſimi diſcipula, quæ contemptis ac rejectis illuſtriſſimæ familiæ ſuæ titulis, & nomine, non alio voluit compellari, quam Eleonora de latere Ieſu; omnem dignitatem, nobilitatem, ac felicitatem in hoc ſitam exiſtimans, quòd ex illo renata eſſet, ad tam dignæ, divinæque generationis normam, vitam, moreſque componens. Admirare anima mea nobiliſſimæ, ac ſanctiſſimæ Matronæ hujus pietatem, & imitare.

Lud. Granat. in vita M. Io. Avilæ c.4.§.6.

CON-

CONSIDERATIO II.

Vulnera Christi Sigilla animarum.

P*One me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum:* ait Crucifixus, & vulneribus perfossus Salvator, ex unanimi SS. Patrum consensu. Sacra Domini vulnera tot Sanctorum corporibus fuisse ab ipso impressa, evidens argumentum nobis est magnopere illi placiturum, si & nos corda, animosque nostros illis obsignemus. *Cant. 8. v. 6.*

Sigillaturam hanc, uti loquitur D. Bonaventura, S. Franciscus in carne sua, quasi ad ignis liquefactivam virtutem præparata, à Seraphico crucifixo accepit. In manibus namque ac pedibus ejus, apparuerunt signa clavorum ipsorum, capitibus in interiori parte manuum, & superiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus existentibus ex adverso. Dextrum quoque latus *Brev. Rom. in festo Stigm.*

tus, quasi lanceâ transfixum rubrâ cicatrice obductum erat, quod sæpè sanguinem sacrum effundens, tunicam viri sancti respergebat.

S. Catharina Senensis, cùm Pisis moraretur, die quodam Dominico, refecta cibo cœlesti, & in ecstasim rapta, vidit Dominum Crucifixum, magno cum lumine advenientem, ex eius vulneribus quinque radios ad manus, pedes ac latus suum descendentes; sed Dominum precata, ne cicatrices apparerent, radii colorem sanguineum in splendidam, ac puram lucem mutarunt, ita ut à vi vulnerum ingentem quidem dolorem senserit, sed signa illorum cruenta non apparuerint.

Brev. Rom. 29. Ap.

Circa annum Domini millesimum, ducentesimum, sexagesimum, in pago Spalbeeck, patriæ Leodiensis Teutonicæ, Elisabetha virgo admirandæ sanctitatis signis claruit. Hæc à tenera ætate, vix dum quinquennis, eâ fuit corporis infirmitate, ut nec gradum usquam promovere, nec in pedes erecta posset consistere. Sed imbecillum corpus

Barth. Fiz. in vita eius 19. Nov.

pus vegetabat animus, qui miro conatu ad arduum altissimumque virtutis fastigium nitebatur. Primus ac præcipuus illi gradus fuit per assiduam meditationem cruciatuum, quos Salvator nostri causâ perpessus est, Deo se gratam acceptamque reddere. In hos quando animum intendebat, vi tantâ se mens efferebat, ut corpus illâ, quam diximus, ægritudine prostratum erigeret, & per cubiculum commodè, nullo adminiculo inambularet, flagris se cæderet, pugnis contunderet, capillos evelleret, aliaque de se supplicia sumeret, prout ea de patiente suo Salvatore meditabatur, ut externo etiam schemate se illi quàm simillimam exhiberet.

Sed ut propiùs ad rem nostram veniamus, de illa ita scribit Philippus Abbas Claravallensis: Cùm fortè, inquit, per Belgium, instituti nostri familias inspicerem, audivi multa de virgine quadam Elisabetha nomine, quæ nisi prudenter explorata, fidem mereri non viderentur. Exploravi, & dictis majo-

ra deprehendi. Primùm hoc constat, impressa corpori Virginis esse Dominicæ Passionis stigmata, è quibus plerumque, potissimùm diebus Veneris, ceu è recentibus vulneribus cruor promanet,& quandoque ebulliat. Rotunda sunt manuum pedumque vulnera, lateris oblongum. Ipse ego, sociique Abbates, ac Monachi alii, nocturnis aliisque horis, cruorem animadvertimus oculis effluentem, ac perfundentem amictum lineum, quem vestibus superinduit. Notavimus præterea, quodam Veneris die, per apertam in latere vestem, sanguinem scaturire non omninò purum, sed velut aquâ mixtum (ut & in hoc Salvatori suo similis esset) inficientemque colore suo corporis partes vulneri vicinas, & intimam è lana vestem. Hæc Philippus Abbas. Francisco, Catharinæ, Elisabethæ, addere possem Gertrudem, Liduwinam, Luciam Ferrariensem, & longè plures, quarum corporibus vulnera sua impressa Salvator voluit, ut constet velle eum illis corda animasque nostras signari.

gnari. id quod istis verbis apertè declarat, cùm ait: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, ubi Hebræi, pro signaculo legunt sigillum, vel annulum, qui pro sigillo servit. Cant. 8.

Est autem sigillorum, & annulorum varius usus, & finis, uti bene observat Cornelius à Lapide Societatis nostræ pius, doctus, & eruditus Sacræ Scripturæ Interpres. 1. Regum & Principum sigillo pecunia notatur, & cuditur. 2. annuli, seu sigilla nobilitatis, & antiquitatis familiarum sunt monumenta. Ita Augustus Magni Alexandri imaginem, pro sigillo, in annulo gestabat, perinde atque si ab ipso genus duceret. 3. annuli sunt testimonia auctoritatis, & potestatis. Amano Assuerus Rex non secus, atque alteri sibi annulum suum dederat. 4. quod servatum, quod nostrum esse volumus, annulo, seu sigillo obsignamus. 5. annuli notæ sunt amoris, quorum gemmis, aut scutulis amici, vel tesseras, vel vultus suos insculpunt, eosque sinistræ manus

digito, quem cordis nuncupant, inserunt.

Vascon. de Reg. Lusit. Optat ergo Salvator nobis sua vulnera sigillum, & annulum esse. Lusitaniæ Reges, uti & Ordines aliqui religiosi, pro sigillo seu signatorio annulo, expressis Domini vulneribus, neque alio, utuntur; sed nec possunt digniore, & pretiosiore, utpote qui Senatoris illius Romani sigillum gemmæ xx. millibus sestertiis æstimatæ incisum longè superet: illo & nos sacrorum vulnerum sigillo, ac toto Salvatore uti debemus.

Primò, ut cogitationes nostræ, verba, & opera iis signata, veluti moneta, ac pecunia optima, probentur, & admittantur à Deo, Angelis, ac hominibus. *In cap. 8. Cant.* Vult, inquit Theodoretus, *Salvator noster, ut eum pro signaculo, in contemplationibus, & actionibus nostris habeamus, notam ipsius, crucis scilicet ac vulnerum, in omnibus tum dictis, tum factis, imprimamus. Sic enim erunt, ut numismata regia, non adulterina, sed imaginem regiam præferentia.* Ita Theodoretus.

Secun-

Secundò, Christo Iesu, ac vulnerum ejus sigillo, signati esse debemus, ut constet nos genus ab illo ducere. Ita Scipio Africanus patrem in annulo semper gestabat. Vnde sanctus Hieronymus ad Eustochium: *Quotiescunque,* Ep. 22. ait, *te vana sæculi delectaverit ambitio, quoties in mundo videris aliquid gloriosum, ad paradisum mente transgredere, & audi à Sponso tuo: pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, & quod es, permane, genus scilicet Christi, non mundi, & esse incipe, quod futura es, heres scilicet regni cælestis.*

Tertiò, annulo, seu sigillo notamus, quæ nostra sunt, & nobis servata volumus. sic omnes electi apud D. Ioannem, signantur Crucis signo; ut constet pertinere eos ad Salvatorem crucifixum ac vulneratum, illique servandos esse; uti Antichristi asseclæ characterem ipsius, & notam impressam habent. *Pone me, ait Dominus,* teste Anselmo, *regen-* In Cant. c. 8. *tem cor tuum, & cogitationes tuas, ut pateat amicis te continere mea secreta, & inimicis item pateat, ab eis secreta, quæ habes, clausa*

 esse,

esse, habeasq́ me rectorem in omnibus operibus tuis. Quod, quid aliud est, quàm ita Christo crucifixo signatum esse, ut totus illius sis, *ejusq́ character amoris*, uti loquitur Hugo Cardinalis, *te ab omni alieno discernat, & in castro animæ tuæ vexillum sacratissimis ejus vulneribus distinctum*, quod Lusitanis Regibus proprium est, appareat.

In eodem loc.

Quartò, sigillo, seu annulo vulnerum Domini uti debemus, ut ostendamur per illa nos multa nobis, multa aliis posse; quemadmodum Salvator ipse, per eadem, Patri suo cœlesti repræsentata, omnia potest, & obtinet: id quod satis superque à me ostensum est in variis Considerationibus præcedentibus.

Quintò, Christum Iesum vulneratum, ac crucifixum, in æterno memoriæ, ac cordis nostri annulo, uti amici amicos in annulis circumferunt, gestamus, inquit Honorius, cùm ejus doctrinam, ac vitam semper præsentem habemus. sic Cicero docet, Epicuri discipulos & amicos, ejus imaginem in annulis

Lib. de finibus.

nulis

nulis gestasse. quanto nos meliùs in memoriæ, & cordis annulo Iesum, & hunc crucifixum? è contrario de Iechonia ait Deus: *Vivo ego, si fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.* Nunquam, ô! annulus noster Iesus, nunquam armilla vulnerum Christi Iesu decorantium coronulam nostram, aut de manu, aut de brachio nostro evellantur, neque pro Salvatore, mundi ac vanitatis idolum signaculum sit cordis nostri. *Signaculum,* ait Ambrosius, *Christus est in fronte, signaculum in corde: in fronte ut confiteamur; in corde, ut diligamus; signaculum in brachio, ut semper operemur. Luceat ergo imago ejus in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus & factis, & si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis; ipse est enim signaculum nostrum, quem, uti Ioannes ait, Pater signavit Deus*, flagellis scilicet, spinis, colaphis, clavis, cruce, lanceâ, vulneribus; ut nobili hoc, ac divino sigillo signati, Dominum Iesum Christum ubique, in omnibus circumferamus.

Ierem. 22 v. 24.

In cap. 8. Cant.

Lib.1.Revel.c.6.

At quando aptissimè hoc sigillo signabimur? illo sanè tempore, quod nobis S. Gertrudis demonstrat. Cùm, inquit illa, festo quodam recepissem sanctam Synaxim, mente intentâ in Deum, & in meipsam, percepi, & sensi animam meam, instar ceræ, igne divino liquefactam sigillatione pectoris, ac lateris Christi fuisse signatam, atque ex plenitudine divinitatis immensos accepisse thesauros; Quid ni & nos eodem modo notamur ac signamur, quibus ejusdem sigilli, corporis scilicet Dominici, tanta est copia? Concludo, & quod in celeberrimo illo Deiparæ planctu habetur, orans ingemino:

Eia Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo validè.

Vt sint mihi signaculum compassionis, gratitudinis, imitationis, & amoris.

CON-

CONSIDERATIO III.

Vulnera Christi Magnes animarum.

MAgnes ferrum trahit, & acum nauticam temperans, illâ navium cursum non minùs, quàm stellâ polari visâ, dirigit. Vulneratum cor Domini Iesu Magnes est, animas nostras ad se trahens, ut plenis bonæ voluntatis velis ad Deum, cursum nostrum dirigamus. Ita ipse Dominus testatur: *Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, hoc est, cùm fuero in cruce fixus, & in ea manibus, pedibus, atque latere confossus, sanguinis mei merito, exemplo meo & amore, omnia hominum genera, per amicam vim attraham, uti ait Cornelius, ut eos fratres meos, imò filios meos faciam: ut sicut ego sum Filius Dei naturalis, sic illi sint filii Dei adoptivi. *Io. 12.*

Ita attracta fuit sancta Ludgardis, quæ cùm ætatis annum ageret tantùm *Barth. Fizen. in vita 16. Iunii.*

 duo-

duodecimum, jam tum à pluribus expetebatur ad nuptias, quas Ludgardis pater non improbabat, neque ipsa aversabatur; cumque uni ex illis fortè familiariùs loqueretur, ostendit se illi Salvator, cruentum latus & cor saucium detegens; jussitque illam deinceps, nihil præter se, quærere. Ex illo humana omnia Ludgardi jam vilescere, ut cum Ignatio, inter Leones constituto, unicus, & solus amor illi crucifixus esset; usque adeò à conspecto lateris Domini sacro vulnere in illum rapta fuit.

S. Ant. p. 3. Hist. c. 9. §. 7. Magnete eodem attractus fuit insignis ille in Parisiensi Academia Doctor. Cùm is Franciscanæ familiæ se addixisset, mater ejus quæ inopiâ haud mediocri laborabat, & ad alia beneficia illud adjecerat, quòd illum donec studiis per otium vacaret, suarum manuum laboribus sustentarat, multis lacrymis, & clamoribus suam orbitatem lamentari cœpit, & tam filium, quàm illius Ordinis Patres omnes, tanquam inhumanos, & injustos accusare. Quibus

bus ille commotus, cùm jam in proposito nutaret, oraretque ante Crucifixi imaginem, quasi veniam ab eo petens discedendi ad matrem sublevandam, vidit è perfosso Christi latere manantem cruorem, simulque hanc vocem audivit: Ego te cariùs nutrivi, quàm mater tua; quare deserere me non debes propter matrem. His ille visis, & auditis stupefactus, & simul ita roboratus est, ut deinceps maternas omnes lacrymas, & querelas facilè contempserit, & Domino iterum atque iterum se trahenti, in arrepto semel instituto, per omnem vitam constanter adhæserit.

Non aliter etiam exaltatus à terra Dominus ad se traxit nobilem illam in Hispaniis puellam, quæ æqualium societatem fugere solebat, in qua certa temporis, sæpè etiam animæ jactura est. Hæc cùm à matre, & sororibus geniali quodam die abducta esset ad tripudium, atque ad hoc à juvene nobili invitaretur, elevans in cœlum oculos, vidit sibi supra caput astantem Dominum

Paul. Barry in an. Sac. p. 1. devot. 2. c. 7.

num Iesum, vulneribus toto corpore concisum, manibus, pedibus, ac latere multo fluentem sanguine, & facie laboranti similem, ac multo sudore madentem, qui illam compellans: Vide, inquit filia, quàm graviter me afficiat sociarum tuarum levitas, in quam te insinuas. Monet illa matrem, & cum ea ac sororibus domum se recipit; ac deinde mundo valedicens, eas elegit socias, apud quas Salvatori supplicia sua, ac vulnera renovatura non esset. Quando tandem anima mea, patieris, & tu te trahi suavi illo magnete venerandorum Domini vulnerum, dissolvens ferreæ voluntatis tuæ catenas, quibus in molestissimo affectionum tuarum carcere captiva jam nimium diu detineris?

CON-

CONSIDERATIO IV.

Vulnera Christi Domicilium animarum.

SAlvator noster, in sermone illo affectûs divini plenissimo, post cœnam ultimam habito, significavit Apostolis abire se, ut illis locum pararet. Et sanè in terris gratiorem nullum parare poterat, quàm sacri lateris, sacrorumque vulnerum suorum domicilium. Rectè, & subtiliter more suo D. Augustinus, cùm ait, non dicere Evangelistam militem lanceâ percussisse, aut transfixisse latus Domini, sed illud aperuisse, ut in vulneris latitudine intelligeremus ostium nobis apertum esse, per quod in superbenedictum cor ejus penetraremus; quod ipse Augustinus facit, cùm ita ait: *Longinus aperuit mihi latus Christi lanceâ, & ego intravi. Hîc fidenter habito, hîc me jucundè reficio, hîc quiesco securus.* Hunc D. Augustini suavissimum affectum etiam ipse Salvator

Io.13.v.3.

Tract.120. in Ioan.

Man.23.

Tract.de Virt.quadriga.

vator comprobavit. Nam cùm vir quidam pius magno illum zelo oraret, ut homines omnes in divinum suum latus, veluti in tutissimum, ac suavissimum domicilium admitteret, illud amplum adeò ac spatiosum illi Christus ostendit, ut nulli non recipiendo sufficeret. Vt piè & eleganter canit ille;

Sidron. de Hossche in eleg. de vul. Dom.

Aspicis ut pateant, & se tibi vulnera pandant?
Præcipuè quod sub pectore vulnus hiat:
Fixit in hoc sedem, & solium regale locavit,
Hic aulam voluit Rex Amor esse suam.
Hic sedet, & valuis quemvis admittit apertis.
Noctes atque dies omnibus aula patet.
Quò veniunt plures, plures agit ille triumphos
Nec, nisi non omnes velle venire, dolet.
Hic ego sim felix, hac degam & lætus in aula.
Pulchra sit hæc oculis Regia sola meis.

Regum

Regum, Principumque Majestas, & potentia splendidas molitur substructiones. Chinarum Regis palatium septuaginta novem aulas numerat, inter quas quatuor ornatissimæ, atque opulentissimæ sunt ære, argento, auro, gemmisque, insigni arte elaboratæ. Monarchis hisce libentes, volentesque palatia sua cedemus, cùm vulnera Domini sacratissima, ejusque cor tam amabile nobis pateant: Nam ut more suo piissimè Abbas Blosius; *apertum est Christi latus, ut nobis accessum aditumque pius Iesus ad cor suum patefaceret. Vnde declaravit suum erga nos incomprehensibilem amorem. Et quid ultra nobis potuit facere, quàm fecit? Ipsum cor suum, tanquam secretissimum cubiculum, nobis reseravit; sunt namque deliciæ ejus esse nobiscum, & in silenti tranquillitate, & tranquillo silentio voluit apud nos quiescere. Dedit nobis cor suum dirè vulneratum, ut in eo commoraremur, donec penitus expurgati, & mundati, suoque cordi conformes, idonei, ac digni simus, unà cum ipso, in æterni Patris cor abduci. Nobis præbet cor suum, ceu lectulum purpurei sanguinis*

Majol. l. 23 dier. Cani.

Marg. Sp. 19.

guinis sui rubentibus rosis adornatum; repositque cor nostrum, ceu lectulum candidis mundorum operum condecoratum liliis. Hactenus Blosius.

Hoc cordis, hoc sacrorum Christi vulnerum domicilium incolebat Sanctus Comes Elzearius, qui à Dalphina conjuge rogatus, ubinam, quidve ageret? agere se ajebat, in vulneribus Salvatoris, atque in illis lætè vivere, neque in terris aliud se domicilium quærere. Idem sensus fuit, eademque pietas Mariæ Claudiæ de Pontaliers Burgundæ, è Cœlestinarum familia; quæ inde harum Coloniam Insulas, & Tornacum deduxit. Rogata enim, an ex Burgundia ab amicis, & notis discedens nihil mœroris passa esset? respondit: ex quo sacrum Domini Iesu latus elegisset in domicilium, in illo se, Burgundiam, amicos, & notos reperisse, tantumque simul solatij, ut neque ad spatium, quo percurreretur psalmus *Miserere*, fuerit subtristior.

Sur. in vita.

In Elog. vita manus.

D. Bonaventura S. R. E. Cardinalis non palatium aliud; religiosissimus verò

rò Ordinis sui Generalis non cellam aliam præter sacratissima Domini vulnera optabat. O, inquit, *quàm beata lancea, quæ aperturam hujusmodi facere meruit!* Stim.p.1. c.1.
O si fuissem loco illius lanceæ, exire de Christi latere noluissem, sed dixissem : Hæc requies Ps.131.
mea in sæculum sæculi, hîc habitabo, quoniam v.14.
elegi eam. Et iterum: *O amantissima vulnera Domini nostri Iesu Christi ! Cùm in illa, quodam die, oculis subintrarem apertis, ipsi oculi sanguine sunt repleti, sicq; nihil aliud videns, cœpi ingredi manu palpans, donec pervenirem ad interna viscera charitatis Iesu, quibus undique circumplexus redire nescivi; ideoque ibi inhabito, & quibus vescitur cibis, vescor, & potu illius inebrior. Ibi tantâ abundo dulcedine, ut tibi non valeam enarrare. Et qui priùs fuerat novem mensibus pro peccatoribus, in utero virginali, mirè dignatur me servum suum intra vulnera sua, totâ vitâ meâ conservare. O cæcitas filiorum Adam! qui per hæc vulnera in Christum nesciunt intrare, in quibus non anima solùm, sed & corpus pia solatia reperit. Experientiam cape, ô homo, & cognosces me verum tibi dicere, & quod optimum est, suadere.* Hactenus Bona-

Luc. VVad. t. 2. an. Min. an. 1274. n. 17. naventura; Cujus tam pio erga sacra sua vulnera affectui dulcissimam Dominus vicem reposuit. Ad mortem enim æger vir sanctissimus cùm ob stomachi debilitatem, sacro Christi corpore vesci non posset, petiit in pyxide illud pectori suo imponi: vix pyxis erat imposita, cùm ecce illi latus rosæ instar aperitur, ac sacra hostia è pyxide egressa in illud, divino motu ingreditur, ut benignissimus Dominus amabili morientis Bonaventuræ cordi jungeretur, qui vivens Christi cordi amabilissimo semper junctus fuerat. Elige anima mea, & tu hoc domicilium, quia nusquam majori cum securitate, atque solatio habitabis. Simul audi Bonaventuram, si illud facere neglexeris, non sibi, sed tibi ita ingemiscentem: *Heu mihi! quare natus sum, nisi Dominum meum Iesum in cruce complectar, & in sacris ejus vulneribus requievero?*

p. 1. stim. c. 15.

CON-

CONSIDERATIO V.

Vulnera Christi Testes amoris.

QVid? adhuc egemus testibus? An non testatum satis in Bethleem, in stabulo, in deserto, in horto Gethsemani, in palatiis Caiphæ, Pilati, Herodis, in monte Calvariæ, in cruce ipsa ab optimo Salvatore amatos nos fuisse, ut reservatis in corpore vulneribus opus fuerit monitoribus, ut vicem illi in amore reddamus? attamen cùm & hos sui in nos amoris testes Salvator addere voluerit, nunquid rectè Paulus? *si quis non amat Dominum Iesum Christum, sit anathema, Maran Atha*, id est, Dominus judex puniet & damnabit illum: non enim differt à Iudæo, quia Iesum si non amat, denuò crucifigit. Cave anima mea deicidium repetere, attende & perpende rem mirabilem. 1. Cor. c. 16 v. 22.

D. Birgitta, illa Sueciæ, nobilitate sanguinis, vitæ sanctitate illustris alumna,

Brev. Rom. Hist. 1. 8. Oct. na, decem annos nata, cùm quadam die de passione Domini sermonem audisset, eumque cordi suo firmiter impressisset, nocte sequenti vidit Iesum in cruce, sanguine recenti perfusum de passione sua ipsam alloquentem, quâ existimante ipsum tunc temporis fuisse crucifixum, & interrogante quisnam cruci tam dirè iterum affixisset, respondit Dominus ab illis hoc factum, qui contemnerēt charitatem ipsius. Quam ne quoties contemnimus & obliviscimur, toties Salvatorem cruci iterum figamus, vulnera sua æternos amoris sui in nos monitores & testes in corpore suo servare, & cœlo inferre voluit.

Ita est, mi Salvator amantissime; vivere, sed non in desiderio pati desieras, tuusque erga me amor, etiam supplicia, quæ cum morte finem habent, post eam nova adinvenit. Clavi manus, ac pedes transfixerant, spinæ caput: colaphi ac sputa faciem deturparant, fel palatum cruciaverat, flagella corpus totum consciderant, & modò cùm vita tibi ampliùs non supersit, charitas tua quasi

plus quàm antehac ardentior, divinum cor tuum transfodit, utque ostendas amorem, passionis tuæ acerbissimæ fontem esse, illum in corde, amoris omnis principio, finem habere voluisti. O amor æterne, ita perge æternùm me amare, & da, te ut æternùm amem.

Beata Mechtildis è latere Domini flammas aliquando vidit erumpere. O si in fornace ista liquefiat anima nostra! S. Francisca Romana ex omnibus Iesu Christi vulneribus catenas igneas prodire vidit, ipsum circumplectentes, ut illis, tanquam arctissimis nexibus mortalium corda sibi adstringeret. sunt planè Salvatoris vulnera sanctissima amoris testes, quo erga animas nostras succenditur, ut rectè dicat ille de vulnere lateris

Lib. 1. Grat. spir. c. 4. & 34.

In vita ejus.

> *Officinam in petra faber Amorum habet,*
> *Vbi tela procudat sua.*

Iug. elog. 76.

Imò verò in petra, scilicet Christo, Dei charitas non unam, sed quinque officinas habet, in quibus non tela tantùm, sed & catenas procudat, quibus nos à

mundo, carne, ac dæmone abstrahat sibique conjungat.

Cæterùm sicut vulnus lateris præ aliis,uti jam dixi,vulnus amoris dicitur, ita nusquã suaviùs, quàm huic vulneri quodammodo inclusi in amore erga Deum ac Salvatorem nostrum occupabimur. Per fenestram orientalem Iosias Rex, jubente, ac manus suas super manus ejus ponente Elisæo Propheta contra Syriam, sagittas suas emittebat, quas *sagittas salutis Domini* vocat Scriptura.Ita Salvator noster ex potenti,ut ita dicam, sacræ crucis suæ arcu, patre ejus cœlesti id unicè volente & divinas manus suas manibus ejus vulneratis imponente,ac jaculantem dirigente,per sacratissimi lateris sui orientalem fenestram,salutis ac caritatis suæ sagittas emittit. Vtinam pateant his sagittis animæ nostræ, & corda,uti patebant ejus, qui dicebat: *Sagittaveras Domine cor nostrũ caritate tua,& gestabam verba tua transfixa visceribus.*cui appositè ille canit:

4. Reg. c.13. v.16. & 17.

S. Aug. lib. 9. Conf. c. 2.

Me pete amor telis in Christi vulnere tinctis:
Quem læsi toties, sic ego læsus, amem.

Sidron. in affect. pass. Dom.

Quod

Quod telum, & sancta Gertrudis miro modo aliquando sensit. Cùm enim à sacra Communione ante Christi è cruce pendentis effigiem, pro accepto beneficio gratias ageret, è latere Salvatoris lucis radio, veluti telo percussa, in novum erga illum amorem exarsit. Rectè Blosius exclamat: *O beatos illos, qui hujus sunt vulneris participes! quorum corda sic configit amoris Christi lancea, ac sagitta, ut deinceps perenni ferveant charitatis ardore.* Marg. Sp. c. 19.

B. Mechtildis, pro mundi redemptione, Salvatori nostro gratiam quam poterat maximam referens, oransque ut cor suum tot amoris ipsius vulneribus transfigeret, quot ipse in sacratissimo corpore suo pertulisset vulnera, à sensibus mox alienata, visa sibi est ad splendidissimum palatium deduci, quod palatium deinde, sacrum Domini latus esse agnovit, è cujus cruce sagitta aurea missa, cor ejus penetrare, ac transfigere videbatur. Atque ita divina caritate penitus vulnerata, voti sui compos est facta. Ad simile carita- Lib. 1. Grat. Sp. c. 20. & lib. 2. c. 20.

P. 1. Stim. rol. 2. tis vulnus & S. Bonaventura anhelat, cùm ita orat: *Transfige dulcissime Domine Jesu medullas animæ meæ, suavissimo, & saluberrimo vulnere amoris tui. vulnera viscera animæ meæ verâ, & firmâ, & Apostolicâ caritate, ut verè ardeat, langueat, & liquefiat anima mea solo semper amore, & desiderio tui. concupiscat & deficiat anima mea in atria tua* (vulnerum scilicet tuorum sacratissimorum) *cupiat dissolvi, & in illis tecum esse.* Ita Bonaventura.

Tract. de pass. Dom. Meritò D. Bernardus quærit, quare Dominus animam peccatricem quærens, dicat: bis sibi ab ea cor vulneratum esse? Cant. 4. aitque in promptu causam esse, quia prius amore, ac commiseratione, quàm lanceâ fuit vulneratus. Cap. 53. v. 5. *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*, ait Isaias, ita ut scelera nostra malleum clavis crucifigendo Salvatori, manum lanceæ lateri ejus perfodiendo, amore provocante, quodammodo commodaverint, sine quo, nec clavi, nec lancea quidquam potuissent: ut meritò Lib. 1 grat. Sp. c. 23. sancta Mechtildis exclamaverit: *Quid tibi*

tibi, ô dulcor unice, debet gratiarum actionis offerri, pro illo amoris vulnere, quod in cruce accepisti pro homine, cùm priùs, quàm lancea, amor tuus invincibili sagittâ cor tuum mellifluum vulneraverit? Quod & ille:

Aspice quàm lato patefactum pectus hiatu,
Quantaq́; sint manuum vulnera: quanta pedum!
Non hæc tam clavi, nec acuto lancea ferro,
Nec populi fecit, carnificumq́; furor,
Quàm, qui causa fuit tantorũ prima dolorũ,
Totq́; Deum plagas ferre coëgit, Amor.

Fuêre qui humano pectori fenestram inesse desiderarunt, per quam cor introspiceretur. Stultum sanè votum. quid enim in cordibus plerisque videretur, nisi sordium omnium fœtidissima, ac turpissima cloaca, qualem Salvator apud Matthæum describit. Sed ille meritò divinum cor suum, non sine patenti sacri lateris vulnere, veluti fenestram, esse voluit; ad quod Iuglaris ita alludit:

Cordi suo notam inesse non suffert, Iugl. elog. 86.
Quam in humano
Corrigi olim Momus voluerat.

Aventibus introspicere
Per fenestram sat patet.

Serm. 61. in Cant. *Magnum*, inquit Bernardus, *illud pietatis sacramentum: Patent viscera misericordiæ Dei nostri, quibus visitavit nos oriens ex alto. Quid ni viscera per vulnera pateant? In quo enim clariùs quàm in visceribus tuis eluxisset, quod tu Domine Iesu suavis es, & mitis, & multæ misericordiæ?*

In Conc. de vuln. Dom. Didacus Morillo, è D. Francisci familia concionator eximius, refert virum Principem, à subditis urbe sua pulsum, amicorum auxiliis restitutum, beneficiis eos cumulasse, à quibus fuerat expulsus; neque desiderasse aliud, quàm ut constaret omnibus, nullam apud se acceptæ injuriæ memoriam residere: quod cùm à suis obtinere non posset, idemque longa oratione probare frustra conatus fuisset, tandem arrepto pugione pectus sibi aperuisse, ut corde per vulnus introspecto, quàm æquum ac benignum illud in omnes esset, omnibus ad oculum pateret, sanguineque, ac morte sua liberam, atque securam vitam omnibus relinqueret.

Sive

Sive hæc historia est, sive, quod potiùs crediderim, parabola, ostendit certè, tanquam in luculenta imagine Christi Domini, ab amore in nos suo magis, quàm lanceâ vulnerati, sincerissimum in nos affectum. Quem affectum pari vulnere Salvatori suo constare voluit P. Iacobus de Scaura è Societate nostra. Cùm enim summè mundi Redemptorem diligeret, admirando non imitando fervore, pectus supra cor gravi vulnere sibi aperuit, quasi in eo suum erga Salvatorem amorem, ab illo legi cuperet. Aperiebat & pectus suum D. Augustinus cùm sic oraret: *Scribe Domine vulnera tua in corde meo, & in iis legam amorem tuum.*

Euseb. Nierenb. lib. de vita div. c. 12.

Hæc vulnera in corde nobilis illius puellæ Neapolitanæ descripta erant, quæ cùm à parentibus in matrimonium collocanda esset, sponsusque cum patre, ac matre jam in domo adesset, induciis illa tantisper petitis, & impetratis, donec in re tanti momenti Deum consuluisset, se in cubiculum suum recipit, ubi ad pedes Crucifixi pro-

Pennequin Amour divin part. 2. c. 16.

provoluta illos complectitur, osculumque deinde figens sacro ejus lateri, fidem Salvatori suo obstringit, præter ipsum neminem se cupere, neminem se alium deinceps amaturam. Nec mora capitis capillos sibi resecat, è quibus coronam plectit, eamque ceu fidei datæ pignus, pedibus Domini appendit: Quo facto, prodit tandem in conspectum proci, & parentum, cum sponso suo Crucifixo, cui se in omnem æternitatem devotam, neque alium admissuram profitetur. Probant filiæ animum pii parentes, satis quippe intelligebant eam feliciùs nubere non posse, quàm Salvatori suo, cujus amor sacrorum ejus vulnerum admirando charactere virgineo cordi inscriptus erat.

Hîc ego te compello, Mater Virgo sanctissima, quæ, uti partem magnam habes in doloribus, vulneribus, ac morte filii tui dilectissimi, ita quasi jure tuo tacitè exigis, ut & partem habeas, in amore ac corde nostro. Est ipse corpore crucifixus; tu illi materno corde confixa es; Ipse in manibus, pedibus, ac

ac latere vulneratus eſt : tuam animam doloris gladius pertranſivit. Ille quidem lateris vulnus lanceâ factum, mortuus non ſenſit, ſed tuum illa cor tranſfixit. Infinitus ille amor quo nos proſequebatur, illum in tormenta hæc crudeliſſima conjecit; at amor tuus ineffabilis quo eum, & nos proſequebaris, incredibili te dolore affecit. Proſtratus itaque ad virgineos ac maternos pedes tuos, te oro ſupplex, trahe me in illius, ac tuum amorem ; da, ut qui ſincerâ pietate ſacra dilecti filii tui vulnera coluerint & hanc quam in coronulâ præſcripſimus ea colendi methodum, piè uſurpaverint, ignitis illis amoris vinculis, ipſi tibique in omnem æternitatem colligentur, ſintque, cum Apoſtolo, vincti Ieſu Chriſti, & Mariæ.

Vos autem animæ, quæ crucifixum Salvatorem veſtrum diligitis, uti cùm has cœpi conſiderationes, vos ſum allocutus, ita & modò extremum alloquor; *Inſpicite obſecro*, cum D. Auguſtino, *vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis.* *Lib. de virg.*

Ca-

Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint, cogitate, hæc in statera cordis vestri appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fixus est in cruce.

CONSIDERATIONVM PARS II.

PRodiit non ita pridem praxis quædam Italo sermone conscripta, & in Flandro-belgicum versa, quam opusculo huic subnectam. Tradit illa modum per passionem, & sacratissima Domini vulnera, singulis hebdomadæ diebus, ad beatam mortem se disponendi. Qui modus, seu praxis, cùm venerandum Domini caput spinis coronatum, ejusque in sinum Matris è cruce depositionem etiam complectatur, statui & de hisce mysteriis considerationes aliquas proponere; præsertim cùm eadem, etiam coronulâ hâc novâ comprehendantur.



CONSIDERATIO I.

Corona spinea, corona ignominiæ.

SCribunt Evangelistæ, *Milites ple-* *Matth.27.*
ctentes coronam de spinis imposuisse super *v.29.*
caput Iesu. Nam cùm audivissent dixisse *Mar.15.*
eum Pilato, se Regem esse, populum- *v.17.* *Matth.27.*
que illi paucis ante diebus acclamasse, *v.11.*
Hosanna, benedictus qui venit in nomine
Domini Rex Israël;ex mera petulantia,in- *Io. 12.*
citati à Iudæis,connivente Pilato,eum *v.13.*
serto è spinis confecto, veluti Regem
ludicrum coronarunt. Qui contem-

ptus

ptus ingens fuit, quo enim quis genere nobiliori natus, & sorte vivit digniore, eò major est, quæ illi infertur ignominia, generoso ac nobili animo ipsa morte gravior.

Et quis Domino Iesu, quis Dei filio, quis sapientiâ Patris æterni major, ac dignior? illa tamen immensa Majestas, illa bonitas infinita, coram Pilato Iudęæ Præside, coram Principibus Sacerdotum, coram senatu, ac populo Ierosolymitano, uti ludibrium ac probrum hominum, spinis coronatur, ac veluti Rex ludicrus omnium risui exponitur. Potuitne ergo mortalium quispiam majori esse ludibrio? Historia nulla commemorat, ad illud usque tempus, quempiam spinis fuisse redimitum. servabatur hoc dedecus Salvatori, divinæ illi Majestati, ut illa spinis coronata, nobis, D. Hieronymo teste, Regni diadema compararet.

Io. Brug. in p. 2. c. 7. & p. 3. c. 3. S. Liduwina rapta nonnumquam à Domino Ierosolymam, atque in Calvariæ montem, edoctaque quos illis locis Salvator pertulit cruciatus, atque ignominiam

miniam pervolvens,quam in hac coronatione passus fuerat, consuetis lacrymis deficientibus, sanguineas fundebat, atque ad omnem contemptum, pro ejus obsequio tolerandum, se promptam,paratamque offerebat.

CONSIDERATIO II.

Corona spinea

Corona doloris.

RECtè ille:

In Regno patientiæ *Iugl.Elog. 58.*

Non aliud coronat, quàm quod cruciat.

Et S.Bernardus: *In corona spinea non leviter impressa,non solùm opprobrium,sed etiam supplicium quærunt.* *Lib.de pass. Dom.c.3.* Dubium non est,quin ingenti cruciatu sertum hoc spineum Salvatorem affecerit; nam cùm spinæ illæ, ex quibus nonnullæ etiam hodie Romæ, & alibi visuntur, prælongæ & præacutæ, numero septuaginta duæ, venerandum Domini caput, uti Tertullianus loquitur, lancinarent, delicatissimum in humano corpore mem-

brum, & ob nobiliorem Salvatoris complexionem, longè quàm in alio ullo delicatius, facile est conjicere, quantum cruciatum Dominus, in hac coronatione perpessus sit.

Lib.7.Revel.c.25. Refert sancta Birgitta sibi Hierosolymis existenti, à Deo revelatum esse, oculos, aures, atque os Domini, cruore è spinarum vulneribus oppleta fuisse, totumque vultum contectum, ut cum solatium, quod illi apud Patrem non erat, à matre, crucique adstantibus amicis quæreret, ex oculis sanguinem expresserit, ut illam, hosque conspiceret.

Egredere, anima mea, de terra tua, de terrenis tuis desideriis, egredere, inquam, ex te ipsa, & vide Salvatorem tuum in diademate, quo coronavit eum probrosa vanitas tua, in die misericordiæ suæ, quando ipse æternam tibi gloriæ coronam præparabat. *In vita.* B. Angelam de Fuligno deficiebat animus, ac mortuæ instar corruebat, quando spinis coronatam Domini effigiem conspiciebat: quàm enim piè, tam firmiter sibi per-

persuadebat, se peccatis suis cruciatu hoc Salvatorem affecisse. Et nos illam coronam siccis oculis ac mente immotâ conspicimus? nec cessamus ambitiosis, vanis, avaris, vindictæ cupidis, impuris, impiis cogitationibus, spinis sanè longè gravioribus, coronare Salvatorem, ejusque dolores acerbiùs renovare?

Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui, quam peccatis nostris ita deformavimus, ut *non sit illi aspectus, neque decor*. In sanguineo hoc & venerando vultu, videbis iniquitatē meam, & simul misericordiam tuam: Aspice, obsecro, per cruentos, & lacrymis plenos filii tui oculos miseriam nostram, audi per aures ejus sanguine oppletas, gemitus nostros; eloquere ore ejus benedicto verbum bonum, verbum salutis; concede, ut mundissimâ puritatis animi sindone, Veronicæ instar, faciem illam Domini mei Iesu mihi abstergere liceat, ut sacratissimam hanc hominis cœlestis in ea portem imaginem, qui imaginem terreni, ah nimium

Psal. 83. v. 10.

diu portavi. Admitte homo, divinam hanc, ad quam creatus es in corde tuo imaginem, quod ſanè durius eſſe non debet marmore illo, quod Chriſti ſpinis coronati caput ac vultum, uti in Veronicæ ſindone, à natura expreſſum vivaciſſimè refert. Pater æterne, te oro obteſtorq́ue, aufer à nobis cor carneum, in omne malum proclive, nimiſq́ue à te, ac filio tuo dilectiſſimo averſum, & da marmoreum, in quo ſacratiſſimam Chriſti tui faciem circumferamus. Saxa enim & marmora in morte ejus ſciſſa ac molita ſunt, at corda noſtra illis duriora perſtiterunt. At Domine Ieſu, benigniùs, obdurata illa corda noſtra, etſi carnea, ſanguini tuo ſacratiſſimo intincta, velut cera ante faciem ignis liqueſcant, ut totus in nobis formeris, nulliſq́ue in nobis alius, niſi Ieſus agnoſcatur.

CON-

CONSIDERATIO III.

Quomodo Salvatorem suum homo spinis coronet.

REfert Plinius Spini floribus solitos fuisse Romanos, Deos suos coronare: at nos spinis coronamus Deum, ac Salvatorem nostrum. Flores, rosas nostras, quod scilicet vitæ nobis optimum est, annos virides ac validos idolis, hoc est, mundo ac desideriis nostris damus: diebus vitæ ultimis, ætate deflorescente, & vix ad quidpiam utili, veluti spinis infrugiferis Salvatorem coronamus, uti apposite indicat ille his verbis: *Lib.13. c.11.*

Coronaris devota sacrificio victima,
At quia vanitas hominum *Iugl.eleg. 58.*
Omni jam rosas legit ex horto,
Solæ tibi spinæ supersunt.

Hæ tamen, uti Clemens Alexandrinus ait, plantatæ in vertice divino, in nobili illo fundo, non solùm proferre debent bonorum desideriorum flores, *Lib.2.pæd. c.8.*

sed & fructus operum meliorum.

Lib. de coron. mil. Tales protulerunt, Tertulliano teste, primi Christiani, qui capita floribus redimiri nolebant, quia Salvator spinis coronatus fuerat. *Surius in vita ejus.* Neque sancta Elisabetha, dum ad templum procederet, coram Christi in cruce pendentis effigie precatura, ullum capitis ornatum admittebat. *Anony. tract. de pass. Dom.* Philippa Caroli Geldriæ Ducis filia, uxor Renati Lotharingiæ Ducis, marito vitâ functo, cùm se Mussiponti in Monasterium recepisset, submovens è scutis gentilitiis tam Geldriæ, quàm Lotharingiæ Ducales coronas, spineas earum loco reposuit: Godofredi Bullonii æmula, qui è Lotharingica domo oriundus, & in Regem Hierosolymorum electus, repudiatâ coronâ aureâ, & spineâ capiti impositâ, ajebat non decere Christianum Regem aureâ coronâ insigniri in ea urbe, in qua Rex regum spineam gestasset.

Perpende hæc anima mea; da coronato Deo ac Domino tuo honorem, & gloriam: fructus hic ex spinis ejus efflorescat, corona illum floribus ac rosis, flori-

florentibus ſcilicet ac vegetis vitæ tuæ annis, in obſequium ejus impenſis, ut & te in miſericordia, & miſerationibus in omnem coronet æternitatem.

CONSIDERATIO IV.

Quibus ſpinis in hac vita coronari debeat homo.

NOn decet, inquit Bernardus, *ſub ſpinoſo capite, membrum fieri delicatum.* Ita ſenſit S. Agapitus, annorum quindecim adoleſcens, cùm galerum ferreum candentem ejus capiti lictor imponeret; *parum eſt*, inquit, *in terra caput aduri coronandum in cœlo, quàm decorè corona gloriæ ornabit caput, pro Chriſto ſpinis coronato, afflictum!* *Serm. 5. de omnib. SS.*

Beata Rita Itala è divi Auguſtini familia, ante Chriſtum crucifixum, orationi magno fervore intenta, avidaque quidlibet pro illo tolerare, tantos, tamque acutos dolores in capite paſſa eſt, ut ſi univerſum ſpinis pungeretur. Inde revulſa è corona Domini *In vita.*

ſpina, lucido immixta radio, in frontem ejus adacta eſt, eo vulnere, quod nullâ manu medicâ unquam curari potuit. Vermibus illud ſcatebat, quos Angelos ſuos appellabat; ſanies tamen ex vulnere fluens & graveolentia, nulli niſi ipſi gravis erat: æquo animo Rita omnia tolerabat, propter eum, qui in ſacroſancto ſuo capite, tanta pro nobis perpeſſus fuerat.

Duas coronas obtulit Salvator ſanctæ Catharinæ Senenſi, alteram ſpineam, auream alteram. Spineam in hac vita elegit Catharina, ut auream in cœlo obtineret. Semel enim ſpinis coronandi ſumus, vel dum vivimus, vel dum vivere deſiimus.

Liduwina annis triginta ſex morbo continuo decubuerat. Iam morti vicina viſitur ab Angelo, qui ut coronam ab ea jam diu cœptam pertexeret, ſpinas paucas deeſſe aiebat, quas paucorum dierum patientia datura eſſet, ac deinde immarceſcibilem illa gloriæ coronam acceptura, quæ omnibus, afflictionum ſuarum ſpinas læto animo

per-

perferentibus, asservatur.

S. Guilielmus Roschildensis in Dania Abbas, eximiæ vir sanctitatis, octo & nonaginta annos natus, cùm lecto postremo ex morbo affigeretur, per noctis quietem Angelos vidit, coronam auro, gemmisque distinctam apparare. Petiit cui illa destinetur? Tibi inquiunt Angeli. Quærit Guilielmus quando perficienda sit? aiunt illi, dum passus fueris satis. Quasi dicant, dolorum spinas à nobis cœlo transmittendas, quæ à divina manu acceptatæ, in gemmas aurumque convertantur, ex quibus cœlestis nobis corona conficiatur. *In vita.*

CONSIDERATIO V.

Ex SS. Patribus desumpta.

S. Ambrosius, *Corona*, ait, *de spinis, quæ capiti Christi imponitur, ostendit quòd de peccatoribus mundi, tanquam de sæculi spinis, triumphalis Deo gloria quæreretur.* *In Luc. c. 22.*

S. Augustinus: *sic*, inquit, *Regnum quod de hoc mundo non erat, superbum mundum* *Tract. 116. in Io.*

non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat. Portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, non clarus imperio, sed plenus opprobrio.

Serm. de Cruce & Pass. S. Athanasius: *Miraculum*, inquit, *novum & incredibile, & magnæ sine dubio victoriæ insigne, quem per ludibrium, subsannationemq́; pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem, & coronam spineam, qua sollicitudines nostras in se suscipiens curaturus erat.*

Lib. de Coron. Militis c. 14. Indue, anima mea, ut te docet Tertullianus, spineam Christi coronam, *ut illam ejus coronam æmuleris, quæ postea ei obvenit, quia & favos post fella gustavit, nec ante Rex gloriæ à cælestibus salutatus est, quàm Rex Iudæorum proscriptus in crucem, minoratus à Patre, modicum quid citra Angelos, tandem gloriâ & honore coronatus fuit.*

CON-

CONSIDERATIONVM PARS III.



CONSIDERATIO I.

De dolore Deiparæ Virginis Mariæ in paßione ac morte Filii sui dilectißimi Iesu Christi.

SPectaculum nunquam tristius, nunquam tristiorem Matrem, neque meliorem: nunquam miseriorem Filium, neque digniorem, nunquam homicidium Deicidio junctum vidit, & obstupuit cœlum ac terra! Meritò spectaculum hoc perpendens in Calvariæ Monte, pius ille Belga, corde confracto, exanimis corruit.

Cantipr. l.1.Ap. c.25.n.5.

Spectaculum memorabile, sed huic non comparandum exhibuerunt Salomona, Symphorosa, ac Felicitas, nobiles illæ ac religiosæ matronæ singulæ, septem filiorum fortium æquè, & in pietate constantissimorum juvenum matres. Salomona centum ac sexaginta annis ante Christi ortum septem Machabæorum mater; Symphorosa, & Felicitas, post Christum, filios conspexerunt

Lib.2.Machab.c.7. Brev.Rom. 18. Iul.& 23.Nov.

runt horrendis cruciatibus, pro fide ac vera religione, & divinæ Majestatis obsequio, generosè vitam ponere, non alio quidem doloris sensu, quàm qui optimas matres decebat, ingenti tamen animi fortitudine ac gaudio, quòd bona voluntate sua, eos ad Dei gloriam æternæ vitæ jam parerent, quos mortali ante peperissent.

At quo doloris sensu Deipara filii sui dilectissimi supplicia crudelissima, & mortem acerbissimam, ac maximè infamem spectavit? Hunc ejus dolorem aliqui exiguum nimis faciunt, quasi minus doleret, quòd illi de divina voluntate constaret. Alii nimis magnum, & sui impotentem, cùm existimant illam in clamores, & ejulatus erupisse, & animi deliquia esse passam. Tantus tamen fuit, qui optimam tanti, & tam digni filii Matrem decebat. Nam si in Salvatoris morte petræ scissæ sunt, & terra mota, atque obductis mundo tenebris, Sol lumen suum negavit, ingensque mœror universo orbe hominum animos pervasit, quis dicere audeat, aut per-

persuadere sibi possit siccis oculis, cordeque immoto, Mariam ad cruciatus, & filii infandam mortem stetisse, ubi ipse hanc prævidens ajebat, *Tristem esse animam suam usque ad mortem.*

Mar. 14. *v.* 34.

Piè scribit nonnemo, graviora passam Deiparam, dum in stabulo Bethleemitico, parvulo suo Iesu ubera virginea præberet, quàm in extremis supplicii; Martyres. præsentiebat enim singulas guttas lactis materni quas divinus infantulus duceret, in sacratissimum ejus sanguinem convertendas, qui flagellis, spinis, clavis aliisque intolerandis cruciatibus, illi ex venis omnibus exprimeretur; & ne guttula illi superesset, etiam mortuo lanceâ latus aperiendum. Quantus itaque Matris optimæ fuit dolor? qui judicio sancti Bernardini Senensis, *si in homines singulos divisus fuisset, vitam singulis ademisset.* quia uti D. Paulinus ait, *doloris idem gladius, qui Christo in cruce mortem attulit, Matris ejus animam mœrore transfixit.*

S. Iure l. elect. c. 6. *sect.* 2.

Tom. 1. *Serm.* 61.

Epist. ad S. August.

CON-

CONSIDERATIO II.

Rationes doloris Deiparæ.

BEata Ludgardis inter meditandum de patientis Salvatoris doloribus, ſanguine, toto corpore, præ affectu, & commiſeratione perfundebatur. B. Maria d'Ognies Nivellis è Brabantia Gallica oriunda, conſpectâ quacunque Chriſti patientis effigie, profuſis lacrymis, etiam viam, quâ gradiebatur humectabat. Et Maria mater conſpecto Ieſu filio, ludibriis tam indignis expoſito, colaphis cæſo, conſputo, flagellato, ſpinis coronato, clavis crucifixo, ſine dolore, ſine lacrymis eſſet? quas etiam ſanguineas fuiſſe affirmat Germanus Conſtantinopolitanus. B. Laurentius Iuſtinianus ait, *Cor Virginis clariſſimum fuiſſe ſpeculum paſſionis Chriſti, & perfectam mortis ejus imaginem. Erat*, inquit S. Bonaventura, *ſentiens hoc, quod & in Chriſto Ieſu: In animo enim illi martyri conmartyr, vulnerato convulnerata, crucifixo concrucifixa adſtabat. Vulnera*, inquit Bernardus, *filii*

Barth. Fiſen. in vita cap. 2. 16. Iunii.

Lib. de agone Chriſti.

Serm. 1. poſt Dom. Epiph.

filii morientis, erant vulnera Matris dolentis.

Ignoti, ait ille, *nulla cupido*; ut vel amissum doleamus, & requiramus, vel non habitum, aut non possessum consequamur. Cui, in cœlo, terráve quanta Deiparæ, concessa erat à Deo Salvatoris notitia? quidni ergo incredibili dolore mœreat, & affligatur ob illum ita crudeliter habitum, & infami crucis morte sibi ereptum?

Noverat sanctissima Mater eum esse Dei Filium, Salvatorem mundi, tot jam labentibus sæculis desideratum à Patriarchis, prænuntiatum à Prophetis, quem nunc videt despectum ac novissimum virorum, opprobrium hominum, & abjectionem plebis.

Noverat illum sibi ab Angelo annuntiatum, à se conceptum de Spiritu sancto, quem Mater & Virgo inaudito Dei beneficio pepererat.

Noverat illum esse, in cujus nativitate Angeli gloriam in altissimis Deo concinuerant, & pacem in terra hominibus bonæ voluntatis; nunc audit populum

pulum Pilato furiosè acclamantem, Tolle,tolle ; crucifige eum.

Noverat eum magnum illum Regem ac Deum esse,adoratum,ac muneribus honoratum à Magis, quem nunc videt latroni, ac homicidæ Barabbæ postponi, & veluti Regem ludicrum purpurei panni frusto indui, ac spinis coronari.

Noverat optima Mater illum esse suavissimum, ac dulcissimum Angelorum, hominumque gaudium, cum quo illi fuerat semper cor unum, & anima una, qui puerulus ante tot annos tenellis suis manibus collo ejus virgineo adhæserat: nunc illum conspicit cruci infandæ clavis affixum, medium pendere inter latrones,virum dolorum,& scientem infirmitatem, & ipsa doloris, ac mœroris Mater non erit?

Eia Mater fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac,ut tecum lugeam.

CONSIDERATIO III.

Rationem, immensum Deiparæ dolorem ac mœrorem, semper gubernasse.

QVamvis dolor, ac mœror in Deipara ingens fuerit, semper tamen ratio illi ita moderata est, ut divinæ voluntatis conformis, non in querelas, clamores, ejulatus proruperit, nullisque spasmis, ut loquuntur, seu animi deliquiis mœstissima mater, atque afflictissima obnoxia fuerit. Nam si Abraham imperatam sibi à Deó Isaaci unigeniti sui necem, æquo adeò animo tulerit; Si Salomona, Symphorosa, Felicitas maternos ante oculos atrocissimis tormentis filiis lectissimis, atque optimis vitam eripi conspexerint immotæ; si confractis cruribus, brachiisque Melithonem suum, illa mater cohortata est, ut adhuc tantisper tormenta fortiter toleraret, identidem ingeminans adstare illi spectantem, & exspectantem Christum, ac deinde

suevis-

suavissimum onus in humeros sublatum sociis Martyribus, carpento, ut flammis traderentur, avectis, adjunxit, postquam in maternæ voluntatis religiosissima ara illum Creatori suo obtulisset holocaustum in odorem suavitatis, si, inquam, parentes isti, milleque alii, licet non sine ingenti paterni ac materni animi sensu, sine hujus tamen immodica perturbatione, fixâ in Dei voluntatem, ejusque obsequium, ac gloriam mente, filiis orbari tam æquo animo tulerunt, quidni & idem de Deipara arbitrabimur, quæ perfectionis omnis ac fortitudinis imago erat, divinamque voluntatem constantissimè habebat pro sua? *Stabat, itaque*, inquit S. Antoninus, *juxta crucem Maria fide, & animo constans; Oculi quidem lacrymis pleni erant, & dolore ingenti cor ejus premebatur, sed sine querelis, sine murmuratione, sine ullo vindictæ sensu in eos, qui filium adeò crudeliter tractarent, exhibebat se afflictissimæ quidem, sed & patientissimæ Matris exemplar.* Quæ, uti ait Ioannes Gerson, si Deus jussisset, propriis manibus cruciϐi-

p. 4. tit. 15. c. 41. §. 1.

Tract. 2. super Magnificat ex SS. Anselmo, & Antonino.

cifixisset filium, neque enim credendum est minoris fuisse perfectionis, & obedientiæ erga Deum, quàm Abraham, qui proprium filium obtulit Deo in sacrificium propriis manibus occidendum, & comburendum. Ita Anselmus.

CONSIDERATIO IV.

Depositus à Cruce Salvator in sinu Matris recumbit.

HOc spectaculum nostrum est, crucifixus, vulneratus, cruentus, mortuus Iesus in virgineum Mariæ sinum à Cruce depositus, optimus scilicet ac suavissimus ille filius inter brachia optimæ ac suavissimæ Matris, ille filius deformatissimus, inter amplexus matris afflictissimæ.

Crede, anima mea, cùm tam lugubri huic spectaculo assistis, afflictissimam matrem plenos lacrymarum oculos ad te à vulneribus dilectissimi filii tantisper avertere, manuque corpus lace-

lacerum tibi ostendentem, simul ita te alloqui: Ecce, quò Deum, & Dei matrem tu perduxeris; tu enim horum tormentorum nobis es causa.

Eia Mater amantissima, non jam fasciculus myrrhæ, sed fascis ingens est tibi filius dilectissimus, qui eò tibi fit gravior, quò animum meum adeò parum tibi compatientem clariùs introspicis, neque proferentem fructum dignum pretioso Salvatoris sanguine, ac virgineis tuis lacrymis, quibus tam copiosè irrigatus est.

B. Birgitta mirum in modum doloribus B. Virginis compatiebatur, illius querelis permota, raros scilicet esse, qui eam sincero amore colerent; pauciores, qui illi in filio patiente, ac crucifixo compaterentur, cùm tamen viro nobili, sed admodum impio, uti ipsa S. Birgitta refert, saluti ad extremum fuisset, Deiparæ aliquando fuisse compassum, æternis doloribus nolenti addici animam, quæ sibi, licet rariùs, & modicè condoluisset.

Sacerdos quidam Deiparæ dolores

perpendens, ut illam ſolaretur: Gaude, aiebat, Maria, quia gaudium ab Angelo ſuſcepiſti, & mundo peperiſti: Gaude Maria, quia Dei Mater & Virgo es. Gaude Maria, quia omnis creatura in cœlo, & in terra te collaudat. Contigit illum gravi morbo affectum ad extrema redigi, & in ſalutis deſperationem à dæmone conjici: Adfuit confeſtim Deipara. Et tu, inquit, fili, cur mœrore conficeris, qui in mœrore meo me toties ſolatus es? Animos reſume, & lætus mecum veni, & intra in gaudium Domini tui. Ita Deiparæ condoluiſſe æternorum gaudiorum principium eſt. *Raz. l. 1. Mir. B. Virg.*

CONSIDERATIO V.

Adoratio defuncti Salvatoris in ſinu afflictæ Matris.

CVm jam verſemur in diei Veneris ſancti myſteriis, in die ſupremo Salvatoris, ab æterno præordinato, & in tempore ſecundum ſanctiſſimam æterni Patris voluntatem completo;

Conſi-

Conſidera anima mea, Deiparam ad crucis pedem, veluti ad aram mundi conſidentem, è nobiliſſimorum virorum manibus Ioſephi ab Arimathia, & Nicodemi manibus crucifixi, & defuncti Salvatoris lacerum corpus excipere, deoſculari venerandum ejus caput, ſacroſanctam faciem livore plenam, manus ac pedes clavis perfoſſos, cruentum corpus lacrymis abluere, ſuaviſſimo lateris vulneri præcipuè affigi. Poſt hæc dolentis Matris pia, & mœſta obſequia, Magdalena, aliique, qui aderant, magnâ reverentiâ, ac ingenti ſenſu, corpus Dominicum adorarunt, & humili oſculo ſacra ejus vulnera venerati ſunt.

Cogor hîc ego iterum ex pia & eleganti elegia in rem affectumque præſentem, paucos hos verſus decerpere, & Virgini Matri exanime Filii ſui corpus de cruce depoſitum, habenti in ſinu, mœſtiſque lacrymis inſpergenti, dedicare.

AD
B. VIRGINEM
In Filii morte.

Sidron. de Hossche in eleg.

TEnè ego (nec movear?) videam mæstissima matrum,
Complexam nati membra cruenta tui?
Eque tuis oculis, super illius ora cadentes
Aspiciam lacrymas, contineamque meas?
Ecce suo tecum rerum natura parenti
Ingemit, &, quo tu funere læsa dolet.
Omnia cum doleant, uni mihi pectora constent
Rupibus, & scissis asperiora jugis?
Non ego firmus in hoc. tua me tua flentis imago
Sauciat. hæc vultus hæreat ante meos.
Vulnera seu spectas, totidemq; in pectore sentis;
Effice, sint animo tot quoque fixa meo.
Seu quocunque alio veniunt è fonte dolores;
Et meus erumpat protinus inde dolor.
Omnia, quæ pateris, mihi sint communia tecum,
Ni fuerint, nati nomen inane gero.

Nec

Nec ſatis eſt, ſi noſtra tuis ſuſpiria jungam:
Te, mea, te cupiam, vita, dolente mori.
O illo mihi contingat tabeſcere luctu!
Felix, ſi lethi cauſa ſit iſta mei.

Et tu, anima Chriſtiana, quo animi tui ſenſu te in hoc ſpectaculo geris? Callirhoë nobilis puella, Pataræ, quæ Achaiæ urbs eſt, oriunda, ad mortem diis placandis damnata erat innocens. Sacrificulus cultro expedito, ut eam jugularet, ejus modeſtos mores, gratias, formam intuitus, puellæ parcit, ſibique cultro in cor adacto vitam eripit. Attonita Callirhoë, & non expectati caſus horrore perculſa, in defunctum exanimis corruit, vitamque in vulnere ejus ſepelivit. Non eramus nos innocentes, eramus æternâ morte damnati omnes. at Dei Filius pro nobis crucem ſubit, cor ſibi à milite transfigi patitur. Quid ni ei compatiamur, & vulneri ejus ſacro immoriamur, ut ei ſoli vivamus, qui pro nobis mortuus eſt? ne, ut ait Bernardus, perinde ac ſi injuriis & maleficiis, ab eo fuiſſemus affecti, in eum cru-

crudelius exardeſcamus, eoq́ue ſpectante peccare non erubeſcamus.

Meliora benigniſſime Ieſu, tibi debeo, & voveo, votumq́ue non violandum confirmo & obſigno cruento ſacratiſſimorum quinque vulnerum tuorum ſigillo.

MEMORIA

Perpetuæ Paßionis & Vulnerum D. N. Iesu Christi, quâ homo se ad felicem mortem disponat.

CVm indubitatum ſit aliquo nos hebdomadæ die morituros, omni die ut beati in Domino moriamur, comparare nos debemus; cùm verò nullum certius ac ſecurius medium habeamus ad hanc tam neceſſariam præparationem à qua dependet æternitas, præter paſſionem, ac ſacra Domini Ieſu vulnera, nobis ab ipſo in præſens ſalutis noſtræ ſubſidium in glorioſo ſuo corpore reſervata, uti in præcedentibus Conſiderationibus vidimus, diſtribuam ſacra hæc vulnera in ſingulos hebdomadæ dies, addito ſacro Domini capite ſpinis coronato, ejuſque benedicto corpore de Cruce depoſito, ut cum eodem, in ſanctiſſimæ Virginis, ac Matris Mariæ manus, animas noſtras deponamus.

Præ-

Præludium 1.

CVm itaque manè expergisceris, sanctissimâ, atque augustissimâ Trinitate collaudatâ, & adoratâ per Hymnum, *Te Deum laudamus*, facta fidei professione, recitato *Apostolorum Symbolo*, actis divinæ Majestati gratiis, quòd illa nocte te à morte improvisa, & aliis animæ periculis liberaverit, excitatâ demum sincerâ contritione, quòd divinam Majestatem, Creatorem, Conservatorem, ac Redemptorem tuum, Patremque optimum, tot, tamque gravibus peccatis toties offenderis, orabis Angelum tuum Custodem, ut te ad sanctissimam Dei Matrem deducat, quàm *Salutatione Angelica* veneraberis, additâ usitatissimâ illâ precatiunculâ, *Sub tuum præsidium confugimus*, *&c.* orabis illam, uti sacrorum vulnerum dilecti Filii sui Thesaurariam, ut in illud vulnus nos admittat, quod isti diei assignatum est, & addes:

Fac ut plangam Christi mortem

Pas-

Passionis ejus sortem,
Et plagas recolere.

Præludium 2.

INtroductus à Deipara in sacrum quodcunque vulnus; omni reverentiâ illud salutabis, & adorabis, dicesque cum Propheta: *Hæc requies mea in* *Psal. 131.* *sæculum sæculi, hîc habitabo quoniam elegi eam.* Offeres sacro isti vulneri cogitationes tuas omnes, verba, ac opera diei istius, protestaberis in illo te velle cum hoste infernali confligere, velut in arce tutissima; in eodem te vivere velle, ac mori; ex illo, & non alio loco velle te ad æternam beatitudinem transire. Per illud, per cruciatus in illo toleratos à Salvatore, per sanguinem ex illo profusum rogabis Dominum, ut omnia hæc consequi, ac obtinere valeas.

Die Lunæ.

MAnè expergefactus præmisso præludio primo, introductus à Dei-

Deipara in ſacrum vulnus ſiniſtri pedis, ſalutabis cùm omni reverentia, ac devotione, & adorabis illud in hunc modum; *Salvete Domini noſtri Ieſu Chriſti pedes adorandi, pro nobis clavis confixi, Hæc requies mea, &c.* Adde reliqua, quæ ſecundum præludium docet. Hoc die continebit ſe anima in ſacro iſto vulnere, conſiderando cruciatum quem in eo Salvator paſſus eſt, qui ingens fuit ex nervorum, qui in pedibus concurrunt fixura, & laceratione, ac mole corporis, quam transfixi clavis pedes ſuſtinebant. Secundò, conſiderabis infinitum amorem quo vulnus hoc pro te pertulit Dominus, cui non minus fuiſti fixus in corde, quam ipſe pro te clavis fuit confixus in cruce. Et hæ duæ conſiderationes cruciatus, & amoris in aliis vulneribus etiam perpendi debent. Tertiò, conſiderabis rationem ob quam Dominus Ieſus vulnus hoc perpeſſus ſit, ut ſcilicet Patri ſuo cœleſti pro peccatis tuis ſatisfaceret, qui ſtimulus tibi eſſe debet ut de illis ex animo doleas, veramque hoc die con-

contritionem in te excites.

Die Martis.

PRæmissis præludiis, considerationibus, ac praxi præcedentis diei, in vulnus dextri pedis à Deipara introductus, petes singulariter gratiam ac fortitudinem resistendi diaboli impugnationibus, atque hæc illo die precipua erit cura, ut de armis ac munimentis spiritualibus contra hostiles insidias tibi prospicias, quibus instructus invadentem te inimicum viriliter repellas.

Die Mercurij.

PRæludium primum ut suprà; introductus à sanctissima Matre in vulnus sinistræ manus, illud his verbis veneraberis. *Salvete adorandæ Domini nostri Iesu Christi manus, in cruce pro nobis extensæ, & clavis confixæ; Hæc requies mea, &c.* Servatisque reliquis quæ in præludio secundo, & in praxi diei Lunæ præscribun-

scribuntur, rogabis peculiariter per merita hujus sacri vulneris, ut ab æternis inferorum suppliciis libereris.

Die Iovis.

PRæludia & praxis ut suprà: Petes singulariter tibi regnum cœlorum meritis sacri hujus vulneris aperiri, repetendo sæpius eo die hæc pii latronis verba: *Memento mei cùm veneris in regnum tuum.*

Die Veneris.

PRæmisso primo præludio; Introductus à Deipara sanctissima in vulneratum Domini latus, illud in hunc modum adorabis: *Salve latus gloriosum Domini nostri Iesu Christi, pro nobis lanceâ militis perforatum. Hæc requies mea, &c.* Offeres te, tuaque omnia, cogitationes, verba, & opera in holocaustum Salvatori super sacra hac lateris ac cordis illius

lius ara protestaberis te in illo vivere velle & mori. Considerabis injuriam Salvatori tuo factam dum etiam in exanimem sævitum fuit, item ejus in te amorem, qui etiam mortuus pro te vulnerari, & pati voluit, sibique pectus aperiri, ut in eo videas quantum te diligat, & æternùm sit dilecturus, ut amori amorem rependas, eaque die in amoris actibus erga Salvatorem tuum te potissimùm occupes, cor tuum ei soli aperias.

Die Sabbati.

PRæmisso præludio primo ut suprà, in societate beatissimæ Virginis ingredieris amœnum illum hortum spinosi capitis Salvatoris, atque illud veneraberis in hunc modum; *Salve tremendum cunctis potestatibus caput Iesu Christi Salvatoris nostri, pro me arundine percussum, & spinis coronatũ. Hæc requies mea, &c.* fac oblationem & protestationem, ut suprà in præludio 2. deinde ex illis spi-

nis haſce roſas collige, conſiderando immenſos dolores, quos ex tam acutis ſpinis paſſus eſt Dominus, uti dixi Conſideratione III. ejuſque cogitationes non alias fuiſſe, quàm de ſalute animæ tuæ, neque tuas alias eſſe debere, quàm de ejus obſequio & gloria à te promovendis.

Die Dominica.

PRæmiſſo præludio primo, venераberis corpus ſacratiſſimum Salvatoris noſtri in ſinum ſanctiſſimæ ac mœſtiſſimæ Matris de cruce depoſitum, atque ita ſalutabis: *Salve venerandum corpus Chriſti Ieſu, pro nobis in cruce ſuſpenſum, vulneratum, mortuum, & in ſinum ſanctiſſimæ Matris tuæ depoſitum. Hæc requies mea, &c.* Addes oblationem & proteſtationem Præludii ſecundi, deinde conſiderabis, quot in ſacro hoc corpore numeras vulnera, tot amoris erga te in Salvatore tuo eſſe teſtimonia. Tandem perpende, pati voluiſſe

luisse Dominum tuum, atque ita intrare in gloriam suam: quam & nobis per merita sacratissimæ passionis ejus sperabimus, & postulabimus.

Ad majorem Dei, & patientis, ac vulnerati Salvatoris, mœstissimæque atque afflictissimæ Matris gloriam.